62080/B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

BACCHETTONI, H.L.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30520289_0002

T7

# ἈΝΔΡΩΠΟΛΟΓΊΑ ἈΝΑΤΩΜΙΧΉ

*SIVE*

# SERMOCINATIO

DE

# CORPORE HUMANO

*EJUSDEMQUE*

## OMNIUM AC SINGULARUM PARTIUM ANATOMICA DESCRIPTIO

IN

Alma Cæſareo - Archiducali Univerſitate OEnipontana DD. Auditoribus ſuis ad Calamum dictata, explicata atq; demonſtrata, modò verò

*Per*

## FRANCISCUM CAROLUM ANTONIUM EGLOFF DE STAADTHOFF,

MEDICINÆ DOCTOREM,

*ET*

In Memorata Univerſitate Anatomiæ PROFESSOREM Publicum ac Ordinarium

*Typis ſubmiſſa,*

Quam unà cum Parergis ex Universâ Medicina in fine annexis publicâ diſputatione horis ante & pomeridianis defendendam ſuſcepit

*NOBILIS & DOCTISSIMUS*

DOMINUS

## HIERONYMUS LEOPOLDUS BACCHETTONI,

Precenſis Romanus,

AA. LL. & Phyloſophiæ Doctor, Chyrurgiæ Licentiatus, nec non Saluberrimæ Medicinæ Candidatus.

*Anno 1726. Menſe Junio die*

PERMISSU SUPERIORUM.

---

Formis Mich. Ant. Wagner, Aul. Cæſ. & Univ. Typogr. & Bibliop.

# ALMÆ
# TYROLEOS

*CELSISSIMIS & REVERENDISSIMIS*

CONFŒDERATIS,

*ATQUE*

INCLYTIS PROVINCIÆ STATIBUS &c.

# PATRIÆ
# PATRIBUS.

*REVERENDISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS,*

*PERILLUSTRIBUS, ILLUSTRIBUS,*

*PRÆNOBILIBUS,*

*AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS*

AC

*CONSULTISSIMIS VIRIS,*

**DOMINIS ac PATRONIS**

D. D. D.



# PATRES PATRIÆ.

SIc Vos veneror, ſic appello: Immortali quidem Veſtro merito, & meo quodam (nî fallor) jure. Fiducia mihi ex hac præſcriptione, atque ſinceriſſima ad Vos cum tenui dicatiſſimæ mentis teſtimonio properandi alacritas. Imò princeps & veriùs omnis cauſa, qua me lætiſſimîs auſpiciîs Veſtra ad genua deducit Sacer Æſculapii Genius. PATRES PATRIÆ, inquam: Quod nominis

ornamentum quibuslibet titulis coronísque anteferendum Marco Tullio Ciceroni omnium primo erepta ſupremæ cladi Urbs & adminiſtrata præcipuo amore ac vigili ſollicitudine Reſpublica impoſuit; gloriæ verò pacísque ampliſſima ſerenitas Imperio ſuo, Orbi videlicet Romano, parta atque firmata in Octavianum deinceps Auguſtum propagavit. Olympicis alii, aut Obſidionalibus, aut Civicis, aut Navalibus ſuperbiant: Africani, Germanici, Britannici, Dacici cognomen jactent; nullæ triumphalem crinem tam honoræ frondes, nulla laureatum clypeum tam ſonora Epigraphe exornabit, quàm præ cæteris eximium illius emicat decus & clareſcit fama, qui Patriæ Pater ex vero conſalutatur. Ex vero autem Vos à me, quin ab Alma Tyroli univerſa. Sive enim Celſiſſimos & Reverendiſſimos Confœderatos, ſive ipſos inclytæ Regionis STATUS contemplemur, ita ſummam decentiſſimi Nominis prærogativam opere & merito exæquatis, ut illinc Auguſtos, hinc Tullios anguſtiori quidem, ſed non minùs felici Republica miremur redivivos. Unde ſiquidem olim appellationi tam dulci ac magnificæ origo? Palàm eſt, quòd à paterno amore, providentia, ſtudio & cura publicæ ſalutis, gloriæ, proſperitatis. *Patriæ Patrem* (Senecæ verba ſunt lib. 1. de Clem. c. 14.) *appellavimus* Principem, *ut ſciret datam ſibi poteſtatem patriam, quæ eſt temperatiſſima, Liberis conſulens, ſuaq; poſt illos ponens.* Sed hujus quidem ævo, quod Principum illorum vitijs jam ab auro in ferrum degeneraverat, moniti locum obtinuit Nomen, quod antehac meriti erat honeſtamentum; id modò inſinuans faciendum, quod à Cicerone & Octaviano, in quibus illi primordia, factum prædicabat. Factum item à Vobis; qui & perpetuò facitis, dum ſeu ſubditorum, ſeu concivium, atque univerſim populi totius, tam ipſi pro dignitate, poteſtate, jure ac munere quivis ſuo, quàm per Legatos ac Deputatos, ad Provincialia præſertim Comitia ſelectos atque collectos, ſaluti

& felicitati, tanquam Liberorum ea ſit, temperatiſſimè conſulitis, Veſtrámque propriam longè poſt publicam ponitis utilitatem. Quanta namque Vobis cura pro Aris, pro focis? pro belli pacísque ſtudijs? pro commerciorum fide, ſecuritate, frequentia? pro diſpenſandis æqua proportione commodis atque oneribus? pro obſtruendis querimoniæ aut turbarum fontibus? pro arcendis quacunque ex ſcaturigine periculis? pro retegendis promovendísque abundantiæ venis in univerſum Provinciæ Corpus ſalubriter ſeſe diffuſuris? Non eſt, quòd Romæ ſuos Numas, Fabios aut Marios, Athenis ſuos Areopagitas, Spartæ ſuos Ephoros Tyrolis invideat; tantis quippe Principibus, Rectoribus atque Tutoribus fulta, quantis florentiſſima unquam aut uſquam Regna & Respublicæ. Video itaque Provinciam ipſam non molli quidem, ſed maſculo Virginis cultu inſignem ſub validiſſimo providentiæ atque amoris Veſtri præſidio lætam quietámque (quantum minacia hæc univerſæ Europæ tempora ferre poſſunt) conſidere. Video conſurgentem novo, ſolido ac magnifico opere, deſtinatam conſilijs publicis Provincialem Curiam. Video montium ſinus pretioſîs turgentes viſceribûs; Hortos, vineas, agros ditiſſima ſpecie renidéntes; Atheſin & OEnum cum minori amnium fontiúmque vulgo fertiles undas alacri ſtrepitu provolventem. Atque hæc omnia quid aliud loquuntur, niſi quod Vos *Patriæ Patres* reſona per amæniſſimas Valles Echo ingeminet? Hanc proinde Romani Imperij Arcem, hoc vivis munitum rupibus Germaniæ vallum, hoc præcipuum Auſtriacæ potentiæ propugnaculum, hanc Regno comparandam, quin & præferendam Provinciam (ita Veteres recentésque Authores loquúntur; ne meis quisquam verbis præſumptioni vertat) Vos authoritate, amore, conſilijs ſtudiisque irremiſſis ſic tuemini, ut immortali Veſtro merito *Patres Patriæ* dicamini. Verùm & à me, & meo quodam jure fieri confido non improvidè, quòd *Patres Patriæ*

Vene-

venerabundus Vos appellem. Supercilium iſthic aliquis fortaſſe ducat, miretúrque ab exteræ nativitatis homine præſumi, ut Tyroli tanquam Patriæ ſeſe aſſerat,& ex Attico Laconem fingat. Fatebor equidem, non in hac me Provincia imò nec Gente, primas hauſiſſe auras, ſed Italo ſub cœlo, Romana in Ditione. Attamen & Vos gaudetis quamplurimorum eſſe Liberorum charitate & gratiâ Patres, ſiquidem vel exteri pro genuinis ſeſe filijs reverentiâ & obſequiô approbent; Atque ego non ijs duntaxat notîs, quas incolis omnibus licebit eſſe communes, verùm propinquiore, ùt opinor, jure civem me Tyroli, mihi Tyrolim Patriam vendico. Benignè feretis hanc libertatem potiùs ac fiduciam, quàm arrogantiam aut temeritatem, ſi reputare dignemini, hominem nativitate, ſed ſolâ, exterum ſua, id eſt Romana ſequi jura. Quem enim lateat, diuturna Parentum Domicilia filijs, quamquàm alibi progenitis, Jus Patriæ ac Civitatis apud Romanos aliáſque paſſim Gentes vel addixiſſe vel contuliſſe? *Idque* tunc maximè, quando de Repub. parentes ipſi benè fuerint meriti; Liberos autem, quos alibi ſuſceperant, intra Reip. aut ipſius Urbis fines à teneris educârint? Conſpirant hæc ad Veſtrum erga me favorem, ad meam ex Veſtro Patrocinio felicitatem. Avus quippe meus triginta ipſos annos non modò Tyrolîs intra fines domiciliô uſus, ſed per omne id tempus Almæ Provinciæ obſequijs devinctus. Avo ſucceſſit Pater, in eundem hujus Patriæ famulatum à Magno LEOPOLDO, Univerſitatis OEnipontanæ Auguſtiſſimo Fundatore, jam anno elapſi Sæculi penultimo clementiſſimè ſubrogatus. Atque hi quidem ambo per continua propè duodecim Luſtra ſuam ita curam laboréſque aſſiduos & fideles impenderunt, ut Veſtræ hodiedum Gratiæ & Avi memoria & Patris vita maneat conſecrata; ſic miſeris atque pauperibus gratuitâ etiam operâ ſuccurrere feſtinârunt, ut illum jam diu exſolutum corpore gratitudo famæ non pænitenda, hunc (modeſtè pro Patre

tre

tre dicam ) præſens aliquis conſcientiæ fructus delectare valeat. Hæc dum attingo, neminem fore reor, qui in invidiam trahat; quaſi Progenitorum obſequia, qualiacunque demum illa, jactare aggreſſus ſim. Quin benegnitatem magìs Veſtram, quæ in eosdem ſumma ſemper eluxit, commendatum imus. Hoc inſuper Parens ipſe imbecillitatis ſuæ haud immemor pridem deſtinaverat, ut monimentum aliquod demiſſiſſimi pariter ac gratiſſimi erga Vos animi poneret, ſimúlque ſuos Veſtro in obſequio commiſſos fortè errores apta pro viribus compenſatione redimeret. Me itaque quinquennem Caſtrîs - precum, & ex patria Italia in Veſtram hanc Metropolim transferens ea ſpe educavit, ut ( ſi tamen Divini Numinis vocatio accederet ) ijsdem, imò amplioribus ac ſublimioribus artibus ſtudiisque exercitus eadem, quin & majora atque utiliora inclytæ Provinciæ fideliſſimi famulatûs tributa per omnem vitam pendere ſufficerem. In hanc artium ſcientiarúmque ſemitam ultrò & ſuperis ( ſic ſpero ) ducentibus me dedi : Ubi Paternis inſiſtens veſtigiis, motu etiam ejus ac ære propugnatis ex univerſa Philoſophia Theſibus, ſupremam hujus Facultatis Lauream haud alio fine ambivi ac retuli, niſi ut Veſtris eam obſequiis per ulteriora olim dicarem. Non tamen ſolò bienniô, quod abinde lapſum, rectiorem ad propoſitos modò fines callem inſtiti; ſed jam antè tum ad inferiorem, tum ad ſuperiorem Medicinam contuli mentem. Et in arte quidem Chirurgica, graviori præſertim illius parte, Lithotomia nimirum & Ophtalmica, ſub Patris maximè aliorúmque Magiſterio ſic proceſſi, ut ex ea univerſa Patavij examinatus, & plenam ſub ſolennibus formulis approbationem ſim conſequutus. Expertus namque Parens quantum ex univerſali Chirurgia præmemoratis ejusdem difficilioribus & particularibus ſpeciebus accreſceret ſubſidij, quantúmque Medicæ ſummæ ab Chirurgica auxilij, atque huic ex illa eſſet perfectionis, ſua-

ſu

ſu ac ſumptu ſuo effecit, ut ambarum conjunctione animum excolerem, Veſtro & Provinciæ univerſæ commodo fieri ratus, ſi Univerſalis Chirurgicæ ars, parùm hactenùs in Patria hac florens aut culta ſtudioſiùs haberetur, & Medicinæ ſublimiori, ſalutari nexu, accederet. *Adijcit* enim *remedijs Medicina Conſilium* (ùt Romanus morum Medicus, Seneca loquitur *epiſt. 94.*) & recipit à Chirurgicis remedijs auxilium. Quapropter cùm amor Veſter, *Patriæ Patres*, non ad politicam duntaxat ſubditorum & filiorum, ſed corporalem inſuper ſoſpitatem protendatur, gratum Vobis nos facturos, Pater atque ego, cenſuimus, ſi in id majori, quin totius Medicæ Sphæræ & virium niſu ac latitudine tenderemus, quod ejusdem Parentis atque Avi mei præſtitis per tot annos obſequijs novam per me jungeret auctionem. Id ut perficiam, prioribus Veſtris in Progenitores meos gratijs ut gratus reſpondeam, ut Patriæ Saluti cum fructu adlaborem, en me cinctum & accinctum. Haud vulgaris equidem Medicis honor, eos Legum Præſidibus ac Civitatum Rectoribus, atque hos illis, à Sapientibus (illo præſertim, quem modò produxeram, *l. 1. de Ira c. 5.*) comparari: At non minor, ſi ijsdem *Patriæ Patribus* ad Reipub. corporalem vitam & integritatem ex voto liceat famulari. Etſi enim Scripta mortalibus æterna Lex faciat, ne ſemper felix ſit Medici cura, id nec laudi derogat, nec arti *Nam ſi omnia fecit, ut ſanaret*, (ejusdem Sapientis vox eſt *l. 7. de benef. c. 13.*) *peregit Medicus partes ſuas*, utì Reip. Præſides muneris ſui numeros explevêre, ſi communi ſaluti omnem contulerunt induſtriam, quamvìs partes aliquas aut membra politica experiantur conclamata. Reſtat igitur, Parentis nomine apertam demiſſiſſimæ gratitudinis teſtificationem, meæque ad obſequia Veſtra paratiſſimæ mentis publicum ſpecimen ut Veſtros ad pedes deponam. Deceret Laudum Veſtrarum Oratoriam Anatomen immor-

mortalibus cedris ſcriptam, aut æterno inſculptam adamanti offerre Epitomen ſaltem laudum. Id verò quia nec Tullius linguâ, nec Phidias manu poſſet, humanæ Epitomen Anatomices humillimè pronus porrigo, Veſtræ eam & cum illa meipſum Protectioni & Gratiæ ſuppliciter devovens atque commendans. Neque dubius de favore poſt tot in Progenitoribus meis teſtata Paternæ indulgentiæ beneficia lætus ad Vota demum convertor. Omnipotentem Cœli Regem ac ſingulares Patriæ Patronos, quos ( ùt in Iconiſmo expreſſimus ) ad Vos & Tyrolim univerſam benignè reſpicientes contueri mihi videor, deprecari fas ſit, verſis in melius Velleij Paterculi verbis ( *lib. 2. hiſtor. Rom. in fine* ) quæ tamen ipſum hoc profana Religione fruſtra optârunt, quod nos ſacerrima fide animati orando impetrare haud ex vano confidimus. *Jupiter Capitoline* ( DEUS Vere, Trine & Unice ) *Auctor & Stator Romani Nominis, Gradive Mars,* ( Debellator ſtygis, Redemptor orbîs CHRISTE ) *perpetuorúmque Cuſtos Veſta Ignium,* ( perpetuò illibata Virgo DEIpara ) *& quidquid Numinum hanc Romani Imperij molem in ampliſſimum terrarum-Orbîs faſtigium extulit,* ( Dive Heros Georgi, beatiſſima Anna, ter felix DEI-hominis Avia; Sanctiſſimi Præſules Vigili & Caſſiane, ac quiqui Cælitum hanc Romani Imperij Arcem munîſtis, texiſtis, evexiſtis, firmâſtis & firmatis ) *Vos publica voce obteſtor atque precor, ſervate, protegite hunc STATUM, hanc Pacem,* ( hos PATRIÆ PATRES, Proceres, Principes ) at cumprimìs *hunc PRINCIPEM* ( AUGUSTISSIMUM CÆSAREM CAROLUM VI. Dominum noſtrum Clementiſſimum ) *Eique functo longiſſima ſtatione mortali, deſtinate Succeſſores quàm Sereniſsimos, ſed eos, quorum cervices tam fortiter ſuſtinendo terrarum-Orbîs Imperio ſufficiant,*

*quàm*

*quàm hujus ſuffeciſſe* ( & pro Patriæ noſtræ gloria, tranquillitate, commodis ſufficere ) *ſenſimus*, ac ſentimus. Ita teſtatur, vovet, precatur

*PATRES PATRIÆ.*

*Demiſſiſſimus Veſter Cliens ac*
*Devinctiſſimus Servus*

HIERONYMUS LEOPOLDUS BACCHETTONI, AA. LL. Philoſophiæ Doctor, Chirurgiæ Licentiatus, Medicinæ Candidatus.

# APPROBATIO
## THEOLOGICA.

LEgi Ἀνθρωπολογίαν Ἀνατωμικὴν, ſive Sermocinationem de Corpore Humano, ejusdémque omnium, ac ſingularium partium ſuccinctam deſcriptionem Anatomicam, in qua non tantùm omnia cum Orthodoxæ Fidei placitis, ac bonis moribus congruunt, ſed etiam illa, quæ ibidem pertractantur, eam claritudinem à perſpicaciſſimo Prænobilis ac Magnifici D. Auctoris ſui ingenio participant, ut non vicariæ rerum voces, ſed ipſæ res, quas explicandas ſuſcepit, legentium oculis inſpiciendæ videantur offerri; accedit grata aliàs raro cum claritate jungi ſolita ſynopſis: Ut adeo hanc Sermocinationem eximio Prænobilis & Magnifici Auctoris ingenio, egregiâ Nobilis D. Defendentis peritia, & publica luce ad utilitatem plurimorum digniſſimam cenſeam.

Ludovicus Simonzin Soc. JESU,
SS. Theologiæ Doctor, ejusdémque in Moralibus Profeſſor Ordin. ac p. t. Sacræ Facultatis Decanus.

# APPROBATIO
## MEDICA.

Cùm Tractatus hic, Anatomicâ Prænobilis & Magnifici Domini Authoris Sermocinatione, admirandam Corporis Humani ſtructuram, tàm hiſtoricâ, eáque exactâ, cunctarum ejusdem partium deſcriptione, quàm apprimè convenienti uſuum dilucidatione, Literato Orbi ſiſtat maximè conſpicuam, in ſingularem Nobilis & Doctiſſimi Domini Defendentis, aliorúmque Philiatrorum utilitatem; hinc luce & laude publicâ cenſeo digniſſimum.

Theodoricus Fridericus Stattlender
de Melans & Vaidburg, Medicinæ Doctor, Prax. & Aphor. Hipp. Prof. Ord. Senior ac Phyſicus Primarius, h. t. Ex-Decanus.

*Nobili ac Doctiſſimo Domino*

# Defendenti.

MActe animo, te caſtra vocant, patet area Laudum,
Meſſis adeſt, propriæ quam peperêre manus
En Muſæ jam ſerta legunt, bivertice Pindi,
Culmine quæ Superûm nuntius ipſe feret.
Illud Pallas amat, Laurum ſine ſanguine donat,
De ſe tam nimium quem meruiſſe liquet.
Exue corde metus, virtus tua dimovet hoſtes,
Arma procul fugitat, Pallas amica fovet.
I, Cape, quod Superi merito tibi jure, quod ipſe
Largitur Medici Præſes Apollo chori.

*In ſignum amicitiæ*

Joannes Jacobus Payr,
Collega.

## *Nobili, ac Doctiſſimo Domino Defendenti in arenam Medicam deſcendenti.*

TYmpana magnanimo ſonitu te ad prælia, campum,
Caſtra vocant, animat gloria, fama, decus.
Certaudem eſt LEOPOLDE, novus tua tempora Laurus
Cinget, quæ binis jam micuêre comis:
Dum te primò Sophum, Chirurgúmque inde probaſti,
Orbe fuit notum nomen & urbe tuum;
Jam modô dum *Medicam* invictè deſcendis arenam,
Certa, quò *Medici* nomine dignus eris.
Aſt ſi fortè dolos, diſcrimina, retia, nodos
Diverſósque ſtruat gens inimica, ſciat,
*Mortis* qui potuit falcem, quoque frangere nodos,
FRANCISCUS poterit dexteritate ſua.
Prodi ter felix, *feliciáque* arma capeſſe,
Hoſtica nunc telis obrue tela tuis.
Sícque fuga diras latitantes corpore Peſtes,
Agmina morborum disjicis arte tua.
Non LEOPOLDE *ſatis*, quòd per te annoſa *Charontis.*
Puppis ſit toties ludificata *Senis.*
Nec ſatis innumeros homines quòd ſubtrahis orco
Et facis hos longos vivere poſſe dies.
Sed rumpes *Parcæ Lacheſi* molimina vitæ,
Ut ſua cogatur volvere fila retro.
Ergo age, fata dabunt felicia tempora vitæ,
Hæc ſunt, quæ Tibi dant Candida vota mea.

Ita sInCera aC DeVota Mente In æternI honorIs pIgnVs VoVet.

*Amicus Servus & Collega addictiſſimus*

Joſephus Antonius Mar. Kraus,
Saluberrimæ Medicinæ Studioſus.

*Prænobili Excellentiſsimo Magnifico Viro*
DOMINO DOMINO
FRANCISCO CAR. ANT. EGLOFF de STAADTHOFF,
Medicinæ Doctori & in Univerſitate OEnipontana Anatomiæ Profeſſori publico ordinario.

*Domino ac Patrono ſuo gratioſiſſimo.*

CEdit *Apollo* tuo fæcunde *Libelle* Labori,
*Progenieſ*que tuas *Docta* veretur opes,
Sidera nec vanis *Gallenus* clara tenebris
Terreat, *Hypocratis*, gloria rapta cadit,
O *felix*! quicunque ſuo de pectore fætum
Edidit, hunc pariter gloria tanta beat.
Fatorum *fatum*, *Soror* imperioſa ſororum,
Atque nites Medico ſplendida *Stella* polo,
Hæret iners plectrum? Juſtos quos reddat honores?
Quæ ſibi pro meritis gratia digna tuis?
Spes dubio ſed amica viret, FRANCISCE vocaris.
Nunc quoque quæſo tuum nomen & omen habe.
Sic quas ſolicito malegrata Talia negârat,
Has ferat ignaræ mens benegrata vices.
Apprecor hoc ſolùm *Piliam* devince Senectam,
Fervidus & Jugi vertice vivat *olor*.
Ut frænata diu *Pandoræ* capſula ſtertat,
Mors paveat fulmen, Patria prona colat.

In Signum debiti Honoris, obſervantiæ, ac ſervitutis

*Diſcipulorum Servorúmque Infimus,*
*& Humillimus*

Hieronymus Leopoldus Bacchettoni,
Defendens, ac Medicinæ Candidatus.

# PRÆFATIO
## AD
## LECTOREM.

*DIu ſanè B. L. deliberabam, mentéque dubius hærebam, an Antropologiam iſtam Anatomicam in lucem ſim daturus, probè enim gnarus, quanta, eáque pulcherrimis Æneis adornata figuris paſſim proſtent Opera Anatomica; Oceanum certè Anatomicæ ſcientiæ mecum dixeris, illud Celeberrimi ac Solertiſſimi Joannis Jacobi Magneti ſereniſſimi atque Potentiſſimi Regis Pruſſiæ Archiatri Magnum theatrum Anatomicum nuper in lucem editum: maximâ pariter laude dignum mecum pronuntiaveris illum, omnium fermè in manibus verſantem, latino & Germanico Idiomate impreſſum Accuratiſſimi ac Clariſſimi DD. Verhayen librum Anatomicum; & ut Oculatiſſimos Malphigios, Celeberrimos Ruyschios, Bidloos, Morgagnos, Veslingios, Bartholinos, Bauhinos, Heiſteros & alios quàm plurimos Anatomicæ ſcientiæ famigeratiſſimos Scriptores ſilentio prætéream, non potui, inquam, non diu de libri hujus incompti, nullíſque Iconibus aut tabulis Æneis adornati ortu atque publicâ impreſſione hæſitare: Verùm enim verò, quoniam (Deo ſic diſponente) cujusdam D. Medicinæ Candidati (in titulo Libri denominati) hocce opuſculum unacum in fine annexis parergis ſub meo præſidio publicè defendendi, atque omnes ſumptus in ſeſe ſu-*

*ſcipientis pruritu, Occaſio tam opportuna & inextricabilis ultro ſe mihi obtulit, ut recuſandi non daretur mihi locus amplius, itaque hunc ſtampæ ſubjicere, & præcipuè in gratiam & uſum DD. Medicinæ Candidatorum in publicam lucem edere decrevi.*

*Habes itaque B. L. & tu præſertim Medicinæ Candidate, ſuccinctam, attamen verò exactam & claram humani corporis, ejusdémque omnium & ſingularum, tam in, quàm externarum partium, Anatomicam deſcriptionem: Fruere proin ac pro lubitu utere iſtâ, & illam, quam parvitas Operis conceſſit declarationem Anatomicam, in tui, proximíque utilitatem & commodum deprome; ſin verò B. L. vel typi, vel abſtruſæ & intricatæ hujus ſcientiæ aliquos inveneris atque annotaveris errores, hos humani ingenii fragilitati, meæq; præcipuè tenuitati adſcribas velim: Vale atque fave.*



PROE-

# PROEMIUM
## A JOVE PRINCIPIUM.

ANtropòlogia Anatomica, quâ omnium & ſingularum humani corporis partium organica ſtructura, figura, magnitudo, numerus, ſitus, connexio & uſus, ſuccinctâ, licèt exactâ tamen deſcriptione & explicatione anatomicâ, hocce in libello omnibus, præcipuè verò Medicinæ Tyronibus ob oculos ponuntur: verùm enim verò cùm variè ac diverſimodè à Litteratorum turba contempletur homo, & quidem primò, quatenus ex animâ rationali, tanquam immortalitatis ente, & ſimul corpore materiali reſolubili variiſque alterationibus obnoxio conflatum eſt animal, itaque, quæ ſimpliciter animam immortalem, ejusdémque actiones concernunt, Theologicis; quæ verò ejusdem principia Phyſica cùm eſſentialia tum adintegrantia quà talia reſpiciunt, philoſophicis ſpeculationibus potius indaganda relinquuntur: illa verò, quæ ad corporis humani organizationem ipſam, ſive ad machinæ Hydraulicophnevmaticæ (utpote variis alterationibus, reſolutionibus & morbis ſubjectæ) indagationem & examinationem ſpectant, in Medicinâ ſive in Medicorum Scholis examinanda veniunt: Eſt autem Medicina juxta Hypocratem ſect. primæ aphor. primo, ars

 longa,

longa, vita brevis &c. quapropter ſuis innixa fundamentis hæc è variis fontibus deſumitur, quamobrem leguntur in inſtitutionibus in ordine ad conſequendam praxim quinque libri, Phyſiologia, Pathologia, Semiologia, Hygienis, & Terrapevtica, quæ ultima includit artem pharmacevticam, cui & Botanica, Chymica, atque ars culinaria famulantur; His verò ſcientiis veluti totidem ad Medicinam perfectè addiſcendam requiſitis, jure optimo primo loco annumerare placet ſcientiam anatomicam, quæ eſt illa primaria Chyrurgiæ & Medicinæ Columna, quâ mediante per plurimas corporum factas diſſectiones, non ſolùm infallibilis partium in homine abſconditarum cognitio, verùm etiam earundem ſtructura, figura, ſitus, numerus, magnitudo, connexiones, cohærentiæ, officium, & uſus innoteſcunt; ſed & inſuper ex demonſtrationibus anatomicis nervoſiſſima probationum argumenta in Medicina eliciuntur, quare manus frequenter diſſecandis cadaveribus admovendæ ſunt, ut ex eorum ſæpe inſtitutis ſectionibus, atque ad oculum factis demonſtrationibus, quivis Medicinæ Tyro, ſaltem quoad ſcientiam anatomicam reddatur perfectus: cùm verò ratio & neceſſitas poſtulet, ut ſectio anatomica primò in infimo ventre inſtituatur, ſiquidem hic venter non tantùm partes citæ putredini obnoxias, ſed inſuper etiam excrementorum & fæcum cloacam obtineat, igitur ut fœtoris & putredinis proxima occaſio declinetur, atque reliquarum partium comoda demonſtratio neutiquam impediatur, ſic illa viſcera, quæ facili negotio ſuâ corruptione & fœtore totum cadaver inficere poſſent, omnium primò amovenda ſunto: quare.

LIBER

# LIBER I.

## *De partibus infimi ventris continentibus tam communibus quàm propriis ac etiam de partibus contentis.*

### § 1.

### *De Diviſione Corporis humani in genere, & externa.*

DIviditur primò totum Corpus humanum, quà illud ab Anatomicis conſideratur generaliter in *caput* tanquam in ſupremum (cui fulcri inſtar collum ſubſternitur) 2dò *in thoracem* utpote in medium & 3tiò in *abdomen* ſive infimum ventrem, & tandem in *artus*, quorum ſuperiores *brachia* & *manus*, inferiores verò *crura* & *pedes* complectuntur: eſt autem infimus venter, de quo nobis in hoc libro Sermo, ſpatium illud, quod ſuperius undique & circumcirca *diaphragmate*, in Regione epigaſtrica & anterius *Cartilagine enſiformi* ſive *mucronata*, à lateribus *coſtis* notis ſive *ſpuriis*, inferius & anterius *oſſibus pubis* & *Coxendicis*, poſterius oſſe ſacro & *oſſibus Illij* tandémque *lumborum* vertebris circumſcribitur, internâ ſui cavitate in regione *Epigaſtrica ventriculum*, in dextro hypocondrio *hepar*, in ſiniſtro *lienem*, in medio *omentum* & *inteſtina*, item in lumbis *renes* & *capſulas atrabilarias*, in regione pubis *veſicam urina-*

*riam*, *uterum*, multáſque alias partes cùm alimentorum reſolutioni diſtributioníque, tùm excrementorum ſegregationi atque expulſioni, tandémque ſobolis procreationi & generationi inſervientes complectens. Externè verò regio ſtomachalis à cartilagine mucronatâ incipiens & umbilicum verſus excurrens *epigaſtrium* dicitur, cujus partes laterales utrinque *hypocondria* vocantur, media regio umbilico circum circa trium circiter digitorum ſpatio definita regio *umbilicalis* apellatur, ſpatium verò inter umbilicum & pudenda medio interjacens *hypogaſtrium* ſive *aqualiculus* dicitur, latera ejus utrinque *Ilia* nuncupantur, pars verò media infra hypogaſtrium in adultis pilis tecta *pubes*, latera verò ejus *inguina* dicuntur, ſub inguinum concurſu inter excrementorum exitum ſpatium illud *perinæum* vocatur, protuberantior verò ejus pars *Carinna* audit, quæ eſt ſutura à pudendo verſus poſteriora excurrens, ubi foramen rotundum exiſtens *anus*, circulus verò rugoſus & nigricans *anulus* dicitur, qui muſculo *Sphinctere* dicto præditus eſt, poſterior autem abdominis pars, quæ ab extremis coſtis usque ad os ſacrum, atque ejus finem oſſis Coccygis protenditur, *dorſum* vocatur, & ſuperius *lumbos* inferius verò *nates* ſeu *clunes* complectitur.

## §. 2.

### *De Cuticula & Cute.*

INter partes abdominis continentes aliæ ſunt communes, aliæ propriæ, inter illas primo occurrit *cuticula* & *cutis*: Cuticula Græcis *Epydermis* vel *cutis eſloreſcentia* dicitur, eo quod à quibusdam animalibus certis anni temporibus exuatur, & eſt *pellicula tenuiſſima ſenſûs expers atque exſanguis, cuti firmiter adhærens & excommuni principio ſeminale non minus ac reliquæ Corporis partes adintegrantes generatur;* tenuiſſima autem hæc eſſe debuit cuticula, ut impreſſiones ab objecto tactili cauſatæ facilius ad papillas nerveas per cutem diſſeminatas admittantur, vaſa nulla vel arterioſa vel venoſa obtinet, neceſſe enim eſt oſcula & extremitates vaſorum ab aliquo operculo tecta eſſe. *Uſus cuticulæ eſt cutem tueri, vaſorum oſcula tegere, moleſtam & dolorificam ſenſus tactus receptionem moderari nimiúmque tranſpirationis & præſertim ſudoris efluvium impedire.*

Cuti-

*Cuticulæ* ſubeſt *Cutis*, quæ duplex eſt exterior nempe & nervea atque *pellis* vocata interior & *carnea*, quæ mollior & rarior exiſtit atque *Chorion* dicta, quæ inſtar rete cujusdam mirabilis ex omnis generis Vaſculis capillaribus nempe *arteriolis* venulis vaſis lymphaticis & fibrillis nerveis minimis componitur, *ut ſit tactus proprium organum & inſtrumentnm:*

Sub Cute & maximè ſub ejus textura reticulari copioſæ & parvæ conſtitutæ ſunt glandulæ *ſubcutaneæ* 2dùm Malphigium *milliares* appellatæ Mycroſcopio obſervabiles Vaſculis ſuis excretoriis exteriora verſus ad cuticulam nempe ſpectantibus inſtructæ, quorum orificiola cutis poros conſtituere videntur, per has glandulas cutaneas ſerum ex Sanguine arterioſo per vaſa capillaria allato emulgetur, ſicque ſubtiliſſima ſeri portio ſalibus hæterogeneis ac inutilibus imprægnata ſeparatur, & per vaſcula excretoria ſub halituum inſenſibilium forma *tranſpiratio inſenſibilis* dicta è corpore humano eliminatur, vel certis occaſionibus ipſe ſudor erumpit: Cutis non tantùm foraminulis minoribus ubique cribri inſtar pertunditur: ſed inſuper majoribus ac per ſe conſpicuis patet foraminibus, ut in ore, naribus, oculis, auribus, pudendis tam virorum quàm fœminarum, quibus natura tanquam viis regiis cum pro alimentis neceſſariis corpori ſupeditandis, tum pro excrementis ex eodem eliminandis utitur:

*Arteriolas, venulas & nervulos* cutis habet copioſiſſimè texturam cutis reticularem ſua congerie conficientes inſuper arteriolæ non tam nutritioni per ſanguinem Chyloſum copioſè advectum, quam inſuper ſero ſuperfluo per tranſpirationem inſenſibilem per memorata Vaſcula ſecernendo proſpiciunt; quoniam extremis ſuis in cutem implantantur ramulis; hinc ſudoris & tranſpirationis materiam ſuppeditant.

*Venæ* totam cutem etiam pererrant ùt Sanguinem poſt ſecretionem ſeri ſuperfluum & poſt nutritionem reſiduum ad cor revehant;

*Fibrillæ* etiam *nerveæ* innumeræ in gratiam *organi tactûs* per cutem diſperguntur. Verùm enim verò in cute humana tenuiſſimi pili undique pullulant, ſi volas manuum aliáſque paucas exceperis partes, aſt grandiores præcipuæ notantur in *capite*, item

in adultioribus in *pube*, *mento*, *labiis*, *pectore & ſub axillis*, itémque in *cubitis*, *memoribus & tibiis* præcipuè in viris robuſtioribus.

Cutis rurſum natura ſua aliquatenus eſt extenſibilis, verùm quia per fibras nerveas ac Vaſa partibus ſibi ſubjectis adhæret, extenſio illa non poteſt ultra proprios terminos ſine dolore fieri:

Cutis ſubſtantia varia eſt, variat enim ratione *ætatis*, *temperamentorum regionum & ſexûs*, in pueris enim tenuior, & poroſior, quàm in adultis, in fæminis quoque quàm in viris tenuior, & variat inſuper in ipſo individuo, mollior & rarior enim eſt in *facie*, in *pene*, & *ſcroto*, durior verò in *cervice*, *cruribus*, *plantis pedum* & *dorſo*, craſſa eſt in *collo*, craſſiſſima eſt in *capite* tenuis verò in lateribus Corporis, unde *titillatio* tenuior in facie & tenuiſſima in *labiis* reperitur.

*Uſus* cutis eſt 1mò, ut mediantibus ſuis papillis *nerveis* ſit verum *tactus organum* 2dò ut totius Corporis *ſit integumentum*, adeoque ut omnes partes *ambiat*, *contineat*, *veſtiat ac tueatur*, 3tiò ut per glandulas ſuas milliares ſubcutaneas ſive per minimas diverſorum vaſculorum extremitates mirè inter ſe ſe contortas particulas maſſæ ſanguineæ *hæterogeneas* ſegregato ſero immixtas per *inſenſibilem tranſpirationem* aut *ſudorem* foras eliminet; Ideoque tota quanta eſt foraminata, ut tam alimentis quàm excrementis locum admiſſionis & emiſſionis concedat.

## § 3.

### *De Pinguedine.*

CUti proximè ſubjacet *pinguedo*, *quæ eſt ſubſtantia unctuoſa ſive gelatinoſa & in membranæ adipoſæ cellulis non aliter ferme quàm ſuccus aurantiorum vel limonum in membranoſis ſuæ pulpæ cavitatibus incluſa & concreta continetur:* Porro exiſtimamus unctuoſitatem hanc è Sanguinis arterioſi cellulas membranæ adipoſæ undique perreptantis *ſeroſo chyloſa portione* deduci, dum ſcilicet ſanguis quod habet in abundanti *oleoſo gelatinoſo-ſulphurei* per modum cribrationis in memoratas

tas cellulas deponit: Hæc ſubſtantia, ſi mediocri quantitate corpori ineſt Sanitati conducit, ſi verò nimiam in molem excreſcat Corpus *torpidum* maléque *diſpoſitum* reddit: Quare Ariſt. Lib. 2do de partium animalium hiſtoria. Cap. 5to *nimiam pinguedinem ſterilitatis cauſam eſſe pronuntiat*, quia chyloſa Sanguinis ſubſtantia, quæ aliàs in genitale cedere deberet ſemen in nimiam pinguedinem tranſit:

Univerſo Corpori Circumfuſa eſt *pinguedo* exceptis labiis palpebris internis, & prout aliqui volunt membro virili, quibus oneri & impedimento fuiſſet: Præter membranam propriam adipoſam dictam, pinguedo juxta communem Authorum opinionem intertextas habet *copioſiſſimas glandulas*, quibus mediantibus Sanguinis *chyloſo - oleoſo - ſulphurea portio* per arterias delata cribrationis ac filtrationis inſtar ſegregatur, ſegregatáque in cellulis *tunicæ adipoſæ* deponitur & tandem in *unctuoſo-gelatinoſam* concreſcit ſubſtantiam: *Pinguedo* abdominis tres habet venas & totidem arterias nempe *mammillares externas* ſupernè deſcendentes 2do *Epigaſtricas* infernè aſcendentes, *& lumbales* à lumbis emergentes.

*Uſus pinguedinis eſt partes vicinas, muſculos nempe ligamenta & tendines, vaſa, ipſámque cutem ne rigidæ & ad motum ineptæ ſint lubricare*, ſicque *corpora ſicca humectare* & unctuoſitate ſuâ oblinire hinc eadem flexiliora ac tractabiliora reddere. 2dò vaſa quædam munire & pulvinaris inſtar ſub vario decubitu incurvatione nempe, extenſione, ſeſſione & innixu variáque Corporis poſitura contra ictus, contuſionem & compreſſionem munire, cuſtodire atque defendere. 3tiò ſpatiola inter muſculos, vaſa & cutim vacua complere & hinc corpus æquale, album molle pulchrum & formoſum reddere, hinc tabidi & vetulæ deformes ſunt. 4tò acrimoniam *Sanguinis ſalinam gelatinoſis & dulcibus ſuis particulis* nempe blande *oleoſo ſulphureis* demulcere, ſicque morbos maraſmodes à *ſalino acribus ſuccis* dependentes impedire.

## §. 4.

## *De Panniculo Carnoſo.*

PInguedini in homine proximè ſubſternitur *panniculus carnoſus ſeu membrana carnoſa* aliquibus *muſculus membranaceus*

*ceus* dictus, hæc membrana omnes totius corporis & in ſpecie muſculoſas partes tanquam univerſale integumentum circumtendit, & veluti Zona omnes conjungit, éſtque *membrana valida fibris carneis dotata*, quibus mediantibus membranæ adipoſæ & hâc perforatâ etiam ipſi cuti firmiter annectitur; hæc exquiſito pollet ſenſu, quare acrioribus laceſſita humoribus, ſive ſero lympháque plus minus accida vel acri vellicata totum corpus quadam concuſſione ac rigore convellit, germanicè Es ſchauderet über dem gantzen Leib; *ſimplex* hæc Membrana plerumque eſt ſed non raro *duplex* imo *4druplex* in carnoſis & pinguibus invenitur, ſi exacta fiat ſeparatio; In brutis *mobilis* ſed in homine *immobilis eſt*, quod enim de mobilitate frontis adducitur, certum eſt hanc à muſculis non autem ab hac membrana fieri, *dorſo* firmiter adhæret ibidémque *craſſiſſima eſt*, atque inde originem vulgo habere putatur; *Arterias venas* & *nervos* in ſe derivatos habet, ex quibusdam ramulis arteriarum venarum & nervorum cuti proſpicentibus, ac in tranſitu in eam ſecedentibus.

*Uſus eſt partes vicinas munire & totum corpus ùt cutis internè ambire, pinguedinem continere, ne diffluat;* aut à continuo muſculorum motu *liqueſcat*, item *vaſa ad cutim obeuntia fulcire.*

Sub membrana carnoſa obſervatur tenuis quædam altera *membrana muſculoſa* vocata. Hæc continet ac immediatè inveſtit *univerſum genus muſculorum* à capite usque ad pedes, præterquam in *facie, collo & manibus*, illósque à vicinis partibus ac ſimul etiam ipſos muſculos à ſe invicem diſtinguit.

*Uſus* eſt muſculos *inveſtire* illósque *Zinguli inſtar arctè* conſtringere, ne in motu contenti à ſe invicem faciliùs dislocentur.

## §. 5.

### *De Muſculis in genere.*

REmotis integumentis comunibus conſpiciendi veniunt *muſculi univerſi*, de quibus modo in genere agemus. Eſt igitur muſculus *pars organica ex fibrarum fibrillarúmque tam tendinearum* quàm *carnearum congerie præcipuè conſtata,*

*qua*

*qua omnis motus & maximè voluntarius perficitur*, hæque fibræ pro varietate prædicti motus, partiúmque quas movent vario ordine ac quantitate ab uno tendinoſo extremo ad aliud nempe *à Capite ad caudam* decurrunt: Diximus muſculum partem eſſe *organicam* quandoquidem actionibus non parvi momenti peragendis eſt deſtinatus, eúmque in finem determinatam ac propriam conformationem accepit:

Corpus muſculi variis conſtituitur partibus *communibus* ſcilicet & *propriis*; propriarum ſunt *tendines* ſeu muſculorum duæ extremitates, quarum una *caput* altera verò *cauda* vocatur, his verò pars media *venter* nuncupatur, fibris præcipue plurimis dotatur quivis muſculus, quibus interjacent venæ arteriæ, vaſa lymphatica, nervi ac ſaculi adipoſi.

Inter partes communes 1ma ſe offert *membrana muſculi communis*; quæ comuni nomine *membrana muſculoſa* vocatur, hæc frequenter complicata reperitur cum muſculorum tendinibus, ſpeciatim circa ſtrictiora ſepimenta, ut *cubiti*, *femoris tibiæ* &c.

*Membrana* muſculi *propria* muſculi corpus *immediatè* concludit, ſed ſæpe circa tendinoſas extenſiones cum membrana communi ita complicatur, ut ab eadem prorſus inſeparabilis ſit, eſt autem hæc membrana veluti tela quædam membranacea ex nervoſis fibris variè contexta, è cujus pariete interna undequaque enaſcuntur transverſa plurima fila, totam Muſculi compagem altè penetrantia, & in varios quaſi arcus interſecantia, quod optimè cernitur in muſculo *glutæo maximo* & in *deltoide* &c.

*Fibræ* muſculi præcipuam ac nobiliorem ejus partem conſtituentes diſtinguuntur in *extrema*, ſeu *tendines*, & in medium, ſeu *muſculi ventrem*, extremorum verò alterum, quod oſſi minus mobili adhæret, muſculique origo; vulgo *ejus caput*, alterum autem extremum quod mobiliori oſſi ſeu parti movendæ, quæcumque demum illa ſit, infigitur, *cauda* & *tendo* nuncupatur, medium verò corpus inter muſculi caput & caudam exiſtens *venter* dicitur.

*Tendines* ſeu *extremitates* muſculorum, à fibrarum tendinearum collectione conſtitutæ differunt à muſculi *medio ſeu ventre*

tre & à fibris carneis *colore* & *firmitate*, colore quidem, quia tendines albicant, rubet econtra muſculi venter, differunt autem & *firmitate*, quia denſata ſtamina fibrarum tendinearum, quibus ipſi tendines conſtant, & *duriorem rigidiorémque* quaſi *chordam* componunt firmiora laxiores verò contentæ medii ventris fibræ carneæ ſunt utpote, compagem molliorem conſtituentes *fibræ* autem muſculi *carneæ motrices* diverſæ naturæ non ſunt à fibris *tendinum;* ſed ea tantùm eſt differentia, quòd fibræ in medio ſcilicet muſculi ventre divulſæ ac diſperſæ in tendinibus verò arctiùs unitæ deprehendantur, & licèt Fibræ muſculi ventris *rubræ* appareant, illæ tendinum verò *albæ* videantur, hæc differentia tantum extrinſeca eſt, nam ſi modo exactè elueris Sanguinem (à cujus affluxu fibris Carneis *rubedo* inducitur) tunc mox in illis ac in fibris tendineis eadem *albedo* conſpicietur.

## §. 6.

### *De Muſculis in ſpecie.*

Muſculi plurimum differunt inter ſemetipſos, & eorum differentiæ petuntur, vel *à toto eorum corpore* vel *à partibus* vel *à ſubſtantia* vel à *figura* vel à *magnitudine, ſitu, ortu,* vel *inſertione*, unde varia ſortiti ſunt nomina, e.g. à figura; muſculus *quadratus*, *triangularis*, *rotundus*, *cucullaris*, &c. Item à ſitu, *Pectoralis*, *radiæus*, *cubitæus*, *æſophagiæus*, à magnitudine, *major*, *minor*; *vaſtus*, *gracilis*. Abortu *externus internus*, *ſublimis*, *profundus*, principaliores verò denominationes *ab officio* & *movendi modo* deſumuntur, unde nempe *aniſcalptor* dicitur, alii ſunt muſculi *flectentes* & in ſpecie articulum ad angulum acutum, alii *extendentes* qui ad lineam rectam, *adducentes*, qui ad internam; *abducentes*, qui ad externam partem movent; item alii *levatores*, qui ſurſum, *depreſſores*, qui deorſum movent; *Rotatores* denique membrum in orbem circumgirant, tandem etiam diſtinguntur in muſculos *antagoniſtas;* & ſunt hi muſculi, qui motum prioribus contrarium edunt, ut ſunt reſpectu flectentium, *extendentes*, & adducentium *abducentes*, lævatorum *depreſſores* & hinc viciſſim.

De

De numero *muſculorum* anatomici non conveniunt, diligentior enim ſcrutatio Recentiorum, neglectos ab anteceſſoribus detexit plures. Inſuper alii ex pluribus unum & viciſſim alii ex uno plures faciunt, diſſenſionis verò hujus rationem reddit Gal. Lib. 1mo de ortu muſculorum. Cap. 1mo *connaſcuntur*, inquit, *nonnulli ſubinde ſibi invicem muſculi, ita ut videantur unus eſſe.*

Uſus Muſculorum eſt alius agentium, alius quieſcentium, dum enim agunt inſtrumenta ſunt proxima motus voluntarii, eſt autem tota actio muſculi ſita in *contractione fibrarum ejus carnearum*, quibus tendines quaſi chordæ validiores continuati in ſuppetias veniunt, & fit dum pori ſeu cavitates fibrarum tam carnearum quàm *tendinoſarum* ex ſanguine arterioſo tum à ſpiritibus animalibus in eos intruſis ita replentur, ut fibræ in *latitudine* amplientur in longitudine verò abbrevientur, haud alia ratione, ac ſi videmus, funis alicujus fila per aquam aſperſam intumeſcere, hinc in *latitudine* ampliari, in *longitudine* verò ita decurtari, ut pondera etiam maxima funi appenſa, contractione inde orta attollantur, quare hanc actionem tum ab influxu Sanguinis arterioſi Spiritibus vitalibus turgidi, tùm à *ſpirituum* animalium per fibras tendineas copioſè influentium mutuo in muſculis concurſu fieri ſtatuimus.

## §. 7.

### *De Muſculis Abdominis.*

PRæmiſſa generali muſculorum deſcriptione nunc ad particularem & quidem propriorum muſculorum abdominis conſtitutionem & numerum devenimus: ſunt igitur comuniter quinque muſculorum abdominis paria; aſt propter varias muſculorum rectorum inſcriptiones Authores in hoc numero diſcrepant inter ſe.

*Primum* autem par exhibent *muſculi obliquè deſcendentes* ob fibras à parte ſuperna ad infernam obliquè deſcendentes ita dicti; hi ſunt maximi & latiſſimi, & totum ſui lateris abdomen obvelant, utrinque oriuntur ex ſuperna parte, 6tæ, 7mæ, 8væ & 9næ coſtæ, inſuper digitatim ac ſerrata quadam ſpecie utrinque hic muſculus accomodatur, ac applicatur originationibus

muſculi thoracis nempe ſerrati antici majoris, inſupérque etiam membranoſo principio ex transverſis Lumbalium vertebrarum proceſſibus, è coſta quoque oſſis Illij hic muſculus in utroque latere enaſcitur ab omnibus itaque hiſce principiis, obliquè & utrinque per anteriora abdominis deſcendens tendine tandem admodùm lato & nervoſo deſinit in *lineam albam* partem ſcilicet *illam candicantem*, quæ à cartilagine mucronata per medium abdominis & umbilicum uſque ad os pubis ſe extendit, & nihil aliud eſt quàm muſculorum abdominis *concurſus tendinum*, ſupra umbilicum latior, infra eum verò anguſtior exiſtens, Perforatus eſt, utrinque hic muſculus in viris per *proceſſus Perithonæi*, cum vaſis iisdem incluſis, ad teſtes usque excurrentes, in mulieribus verò per uteri *ligamenta rotunda* circa inquina ſucceſſivè in pinguedinem oſſis pubis ſe ſe diffundentia & tandem in ipſum os pubis deſinentia.

*Secundum* par conſtituunt *muſculi obliquè aſcendentes* ubi in utroque latere muſculus obliquè aſcendens, obliquè deſcendenti proximè ſubſternitur. Originem hic ab oſſe Illion, item à ſpinis vertebrarum oſſis ſacri, & quoque à vertebrarum lumbalium proceſſibus ducit, ac ſupra in coſtas, nempe nonam, 10. 11. 12.que obliquè aſcendit, ac tendine ſuo vel magis fibris ſuis nerveis per tranſverſim in *lineam albam* ut reliqui excurrit, Fibras autem habet prioribus oppoſitas illas decuſſatim ſe ſe *interſecantes*.

*Tertium* par *Rectorum*, eſt, *quod à recto fibrarum ductu ſic denominatur*, hoc validiſſimum eſt, & latitudine tres digitos transverſos, craſſitudine verò minimum digitum æquat, ab utroque latere cartilaginis enſiformis, item à ſterno & quatuor coſtarum notarum cartilaginibus oritur, hic rectâ deſcendens validiſſimo ac tendinoſo fine in os pubis utrinque inſeritur, in deſcenſu *binis*, *ternis*, ac interdum *quaternis* transverſis *inſcriptionibus* veluti in plures muſculos dividitur, & revera plures eſſe muſculos, tum ocularis inſpectio, tum eorum ratio & actio probat; Nam hæc perpetua eſt regula; omnis Muſculus movetur verſus ſuum principium, & ibi eſt principium, ubi nervus muſculo inſeritur; ſed hîc varij nervi inſeruntur, ac ſingulis interſectionibus interjiciuntur, ergo plures ſunt muſculi, deinde contractus muſculus

lus rectus, ſi unus eſſet, non poſſet æqualiter omnes partes ſubjectas inteſtina nempe debito modo comprimere.

*Arterias* & *venas* accipiunt *muſculi recti* ab *Epigaſtricis aſcendentibus & à mammariis deſcendentibus*, ex quorum vaſorum Anaſtomoſibus aliqui haud inconcinnè conſenſum uteri cum mammis deducunt.

*Quartum* par ſunt muſculi *Pyramidales* à figura pyramidali ſic dicti, qui rectis infimo incumbunt loco, hi ab oſſibus pubis orti quantò longiùs aſcendunt, tantò anguſtiores fiunt, & ſic tendinibus accuminatis in punctum *lineæ albæ* deſinunt nonnunquam hi muſculi ambo. Vel ſaltem alteruter deſideratur ac maximè ubi quatuor inſcriptiones rectorum inveniuntur, qui tum vices *pyramidalium* ſupplent.

*Quintum* par præbent *muſcul transverſi*, ob fibras transverſas ſic dicti, hi ſitu ſunt infimi, & oriuntur à ligamento quodam ex oſſe ſacro prodeunte, ac muſculum ſacro lumbum tegente, deinde procedunt etiam ab infimâ coſtâ, & ab oſſe illii, ac finiunt membranoſo tendine in *lineam albam*, ubi tenaciter Perithonæo adhærent, hinc ſine laceratione ab illo ſeparari vix queunt, horum peculiaris *uſus eſt inteſtinum colon comprimere.*

*Uſus* omnium muſculorum abdominis eſt: *ventrem inferiorem comprimere*, ſicque alimentorum per vaſa ac viſcera non tantùm impulſionem, quàm econtra excrementorum ani & veſicæ urinariæ, inſuperque fœtus maturi expulſionem in fæminis promovere, quum autem partium comprimendarum diverſus numerus, ſic unus non ſuffeciſſet muſculus: ergo plures in diverſis locis à provida natura ſecundùm varios angulos, rectos nempe obliquos & transverſos agentes conſtitui debuerunt muſculi.

*Thoraci* etiam abdominis muſculi præſertim in validâ inſpiratione & exſpiratione ſuppetias ferunt: hi muſculi hoc peculiare habent, ut *non foras* ſicut reliqui in eorum actione, *ſed intus* intumeſcant, ut ſic melius officio fœcum nempe expulſivo præeſſe queant.

## §. 8.

### *De Perithonæo.*

OMnibus abdominis muſculis remotis, in conſpectum venit *Perithonæum*, ita dictum, quia omnibus in abdomine contentis viſceribus circumtenditur. Eſt autem *Perithonæum membrana tenuis, denſa, lubrica, mollis, ſed valida* ut laxari & extendi poſſit *interius* totam abdominis cavitatem ſuccingens, omnésque partes in ea contentas amicè veſtiens, atque ſingulis illis partibus extimam largitur tunicam, in viris & in mulieribus, in his autem craſſior eſt *ab umbilico usque ad os pubis* ut in fœtus geſtatione magis diſtendi poſſit: *Duplicatur* Perithonæum, & ejus duplicatura manifeſtè apparet, ubi intra ſuam duplicaturam comprehendit *renes, uretheres, veſicam urinariam & vaſa deferentia, ſupervicies* ejus exterior non nihil aſpera & fibroſa eſt propter connexionem cum muſculis, interior verò levis eſt, & humore unctuoſo illita, ideo ut motus inteſtinorum facilius perfici poſſit, igitur per fibras ſuas anterius muſculis abdominis connectitur, inferius oſſi pubi & Iſchio, lateraliter oſſi illij; retro verò oſſi ſacro & vertebris lumborum, ſed inſuper perforatur *Perithonæum* multis in locis, ſuperius nempe ubi diaphragmati connectitur perforatur per *gulam, venam cavam* & nervos octavi paris; inferius ad latera in viris perforatur per *proceſſus Perithonæi* utrinque deſcendentes in ſcrotum, & in ſe vaſa ſpermatica continentes inque ſcroto magis dilatati tunicam teſtium vaginalem conſtituentes, in mulieribus verò etiam perforatur per hujuſcemodi proceſſus ad *inguina tendentes*, & ligamenta uteri *rotunda* in ſe includentes, item inferius *per inteſtinum, rectum,* & *vaginam uteri*, anterius & in medio abdominis *per umbilicum* ac ibidem in fœtu per *vaſa umbilicalia* in adultis coaleſcentia perforatur;

Quæ verò de ortu *Perithonæi* inter Auctores controverſia exiſtit nobis ventilando operæ pretii haud eſſe videtur, cùm primò res exigui ſit momenti & in uſu loquendi potius, quàm ad praxim conducat.

Arterias & venas habet *Perithonæum*, ſuperius *à phrænicis* in medio *à mamariis* & *Epigaſtricis*, inferius *à lumbaribus* nervos accipit à vertebris thoracis & lumborum.

*Uſus Perithonæi* eſt *viſcera ſuis in locis continere*, eadémque ab invicem dividere & ſeparare exteriorem omnibus tunicam communem largiri, quo feliciores eorundem ſint actiones, deinde partibus ſibi ſubſtratis ad melius obeundum motum pro firmamento eſſe.

## §. 9.

### *De Omento ſeu Epiploon.*

REmoto Perithonæo & aperto abdomine primo ſeſe offert omentum Græcis Επηπλῶον dictum, hoc inteſtinis immediatè ſuperſtratum eſt, quorum etiam anfractus ingreditur, hoc plerumque ad umbilicum ceſſat in nonnullis verò infra umbilicum ad os pubis usque protenditur.

*Conſtat omentum* gemina alâ ſuperiore & inferiore; ſuperior firmiter circa fundum ventriculo annectitur, item mediante Perithonæo *diaphragmati; Epatis & lienis cavo*, inferior ala *lienis ſimo inteſtino duodeno & colon* nectitur; Unde ſub ventriculo tranſit, & junctis oris, tam in dextro quam in ſiniſtro latere ſenſim deſcendunt alæ, & paulo in anguſtum contractæ *manicam Hypocratis* dictam aut marſupii formam conſtituunt: Per omenti ſubſtantiam præter pinguedinem ubivis exiguæ & plurimæ glandulæ interſparguntur, inſuper & arterias & plurimas venulas perreptantes à cæliacis & meſeraicis propaginibus ortas recipit.

*Uſus* Omenti primo ob adipis copiam eſt *ventriculi fundum itidémque inteſtina blando calore fovere*, ſicque accidentaliter digeſtiones feliciores efficere, unde omento exciſo flatus ructúsque plurimi experientiâ teſte generantur, item arteriis, venis, vaſisque lymphaticis &c. ad ventriculum, inteſtinum duodenum, colon & lienem tendentibus ſecurum iter ac tranſitum nempe vaſa memorata, fulciendo præbere.

## §. 10.

### *De Ventriculo.*

ABlato omento mox adeſt *ventriculus* quaſi parvus venter dictus, & in parte Epygaſtrica ſub diaphragmate tantillum verſus hypocondrium ſiniſtrum ſitus, qui diaphragmati per æſophagum Epati per ligamentum peculiare membranaceum; lieni per omentum renibus per nervos mediante plexu nerveo meſenterii; Omento per ejus alam fundo ventriculi alligatam denique pancreati per Perithonæum connectitur.

*Figura* Utriculæ luſoriæ Paſtoriceæ Einem Dudlſack ſimilis eſt; & conſtat *fundo & duobus orificiis*, fundus eſt illa ventriculi pars, quæ major rotundior & capacior, vel à ſiniſtro hypocondrio ſenſim dextrorſum in modicam longitudinem & anguſtiam inclinans ſeſe extendit; egredientémque chylum perpetuo amplexu comitatur, & impedit, ne quid cibi indigeſti facilè ex ventriculo exeat, ubi ad finem orificium dextrum, vulgo orificium inferius dictum, propriè autem *Pilorus ſeu Janitor* cernitur, qui inſtar muſculi Sphyncteris fibras habet transverſas & orbiculares ac mediante quodam circulo craſſiori inteſtino duodeno conjungitur. *Orificium verò ſiniſtrum* vulgò orificium ſuperius & propter tenerrimum ſenſum atque cum corde conſenſum, quem habet hodienum *cardios*, *ſive cor* dicitur; & eſt æſophago ac diaphragmati è regione cartilaginis enſiformis firmiſſimè annexum & continuum, hoc orificium quamvis altero orificio patentius in gratiam transmiſſionis ciborum deglutitorum ſit, ut autem poſt cibos aſſumptos rurſum aliquo modo ſe claudere poſſit, hinc fibras habet orbiculares & carnoſas.

*Magnitudo* variat pro varietate *ſexûs*, *ætatis & magnituidinis* corporis, cujus proportioni plerumque correſpondet ventriculus, aſt voraces magníque bibones, plurimo cibo ac potu ſe ſe infarcientes majorem habent ventriculum, cum veluti corium ſit extenſibilis, quò magìs verò extenditur ejus ſubſtantia, eò tenuior, hinc debilior & ad digeſtionis negotium ineptior fit, qui communiter triplici & 2.dùm recentiores quadruplici conſtat tunicâ, quarum prima & externa *communis* nuncupatur,

tur, eò quod *à Perithonæo* oriatur, ſecunda *carnoſior* eſt, fibríſque carnoſis omnis generis refertiſſima, ideoque robuſta & valde incraſſata conſpicitur. Tertia *rugoſa ac nervoſa* eſt, æſophagi oris, & labiorum tunicæ continua, ne aliquid ventriculo ingratum facilè ore excipiatur, hinc materiæ peccantis inque ventriculo latitantis ſapor in ore percipitur. Quarta & intima ſpongioſa, mucoſa & *cruſta villoſa* dicitur, hæc glandulas verſus nerveam obtinet, ex quibus minutiſſimis etiam & in ſecunda tunica conſpicuis liquor iſte decantatus *menſtrum nempe ſtomachale* in cavitatem ventriculi præcipue digeſtionis tempore exſtillare creditur. Venas partim à venæ Portæ trunco, partim ab ejusdem ramis Meſenterico nempe & ſplenico accipit, venæ autem & arteriæ ventriculo propriæ vocantur *gaſtricæ;* à trunco venæ Portæ oritur *gaſtrica dextra Pylorica* dicta, eò quòd ad Pylorum ſpargatur; A Ramo autem ſplenico producitur *gaſtrica major*, quæ ſupernam ventriculi regionem Coronæ inſtar cingens ideóque *coronaria* vocatur, cernuntur venæ gaſtricæ plures minores dictæ, & rurſum apparet vena magna proprio nomine *vas breve* dictum; hæc modo extra, modo intra lienem egreditur: & ad venticulum nunc uno nunc multiplici ſurculo protenditur; venæ inſuper ab omento ad ventriculum tendentes vocantur *gaſtro Epiploicæ*, & datur vena *gaſtro Epiploica ſiniſtra ab inferiori ramo venæ ſplenicæ*, orta quæ partim ſiniſtrorſum ad ventriculi fundum partim per omentum diſtribuitur; Item vena *gaſtro Epiploica dextra* quæ conſimili modo exſurgens dextrorſum ad ventriculi fundum tum etiam ad omentum tendens ibidémque diſtribuitur.

*Arterias* recipit ventriculus ab arteriæ magnæ *ramo cæliaco* ejúsque tum à dextra tum à ſiniſtra propagine, plurimáſque ibidem venis enarratis comites arteriolas obtinet; Inſuper etiam plurimos habet Stomachus nervos *à vago nervorum pari & intercoſtali* item *à ramo ſtomachico recurrente* ubi circa ſuperius ſive ſiniſtrum orificium admirabili quadam reticulata textura hi nervuli concurrendo illud amplectuntur, propterea ibi adeo exquiſitus oboritur ſenſus, unde cordis nomine hoc orificium plerumque gaudet alii m. nerviculi adeunt ventriculi fundum à prima & 2.da dorſi vertebra emergentes, & ad pylorum usque decurrentes, unde mirum non eſt, quod percuſſo & affecto cerebro ven-

tri-

triculus perturbetur, & vomitiones oboriantur, ùt in hæmicrania apparet, atque viciſſim malè affecto ventriculo cerebrum compatiatur.

*Uſus* ventriculi eſt *cibum & potum recipere*, illúmque *digerere, attenuare* & in materiam pultiformem chymum vulgò dictum reſolvere atque convertere.

## §. II.

### *De inteſtinis in ſpecie.*

VEntriculo à Pyloro ad anum usque continuatâ ſerie anectuntur *inteſtina*, quæ ſunt *oblonga membranacea, concava, teretia variéque circumgyrata corpora & canales*, iisque ut ventriculus gaudentes tunicis in toto abdomine circulariter ſiti ac ſepties circiter longiores illo, in quo ſunt homine; differunt eadem figura & uſu, propter quam diverſitatem duplicia ſunt inteſtina, *tenuia* ſcilicet & *craſſa*, tenuia ob Membranarum tenuitatem, ita dicta, ſúntque eadem circumcirca partim ſupra partim infra umbilicum, munus eorum eſt chylum in *ventriculo elaboratum in ſe ſuſcipere, magìs reſolvere & ſic ſuccum nutritium perfectum in vaſa chylifera intrudere;* hæc rurſum dividuntur in tria, quarum primum *duodenum*, 2.dùm *jejunum* 3.tium *illion* dicitur, *duodenum* nomen à 12. digitorum transverſorum menſura accepit, *ductûs choledochi* & ſimul *ductus pancreatici* inſertionem tortuoſo ingreſſu admittit, ſitum eſt hoc inteſtinum in dextro latere ſub Epate ac ſuperius *Piloro* poſterius *lumborum vertebris* è latere ſiniſtro *pancreati* connectitur; unde lympha ſalino ſpirituoſa non ſine providæ naturæ optimâ intentione ad hoc inteſtinum apportatur, inſupérque per ductum choledochum *bilis* etiam ad hoc inteſtinum advehitur, quibus mediantibus duobus ſuccis in hoc inteſtino concurrentibus *chymus ſine maſſa nutritia* è ventriculo in inteſtina demiſſus magis reſolvitur attenuatur, volatiliſatur, & rore quaſi vitali imbalſamatur, atque in chylum verum transmutatur, ſicque ad tranſcolationem per vaſa lactea habilior, ad nutritionem verò aptior & perfectior redditur.

*Venam* hoc inteſtinum propriam habet *duodenam* dictam Arteriam à dextro *cæliacæ ramo, nervos verò exiguos à Stomachicis.*

Se-

Secundùm inteſtinum, quod in duodeni fine incipit, *Jejunum* dicitur, ideò quia propter irritationem à bilis proximè influentis acrimonia cauſatam plerumque vacuum invenitur, hoc *longitudine* 12. ferme palmas *latitudine* digitum circiter adæquans, multis gyris intortum, ſub *pancreate* prope ſpinam dorſi, in regione umbilicali verſus ſiniſtrum latus ſitum eſt venas habet à dextera *Meſeraïca* reliquibúsque inteſtinis communes; Arterias à *Menſenterico ramo ſuperiore* nervos ab *octavi ſive vagi* paris ramo. Aſt eo in loco ubi hoc inteſtinum vacuitate ceſſante *turgidulum* fit cum aliquali rubedine *tertium* tenuium inteſtinorum *Illion* dictum initium ſumit. Hoc ſub umbilico ad Illia & coxas utrinque ſitum eſt; ideóque *turgidulum* fit, quia chylus volatiliſatus ac perfectus in hujus inteſtini gyrorum multitudine copioſè aggeritur & tantisper ſiſtitûr, hinc ubi à fibris carneis paulo conſtringitur, pars purior & ſubtilior chyli in vaſa lactea hîc copioſſimè exiſtentia intruditur, pars verò terreſtrior transcolatioi ineptior ad craſſa inteſtina promovetur, *Illeon* omnium inteſtinorum *longiſſimum* eſt, & ideo frequentius in ſcrotum delabi poteſt, unde *hernia inteſtinalis*, item volvulus & Illiaca paſſio *miſerere mei* etiam dictum in hoc inteſtino contingit.

## §. 12.

## *De Inteſtino Cæco Colon & recto.*

AD finem hujus inteſtini occurrit *valvula* quædam magna, penes quam craſſorum inteſtinorum primum atque *inteſtinum cæcum* dictum, quia in parte altera impervium eſt, occurrit.

Quod inteſtinum nil aliud eſt, niſi quædam *apendicula parva inſtar oblongi vermis adhærens* longitudinis circiter quatuor digitorum transverſorum, exiguam cavitatem in adultis plerumque vacuam, ſed in fætu excrementis repletam habens.

*Uſus* ejus eſt *lympha ſua chylum terreſtriorem diluere*, atque ad diſtributionem particularum ſaltem aliquarum chyloſarum in inteſtino Colon adhuc contentarum conducere, item regurgitationem excrementorum impedire.

Craſſorum inteſtinorum alterum *inteſtinum Colon eſt*, quod initium in latere dextro penes renem dextrum ſumit verſus Epatis cavam, & veſiculam felleam aſcendendo, cujus contactu *flavedine* tingitur; tum transverſo ſub ventriculi fundo itinere, ubi etiam omento annectitur verſus hypocondrium ſiniſtrum & lienem tendit, ibidem ad angulum facto *inflexu & reflexu* verſus renem ſiniſtrum, hinc ad os Illion & denique ad os pubis, ubi verò ſubſiſtens ſéque iterum verſus renem ſiniſtrum attollens iterumque dilabens ad inteſtini recti principium & tandem ad anum usque progreditur; *figurâ* ab omnibus aliis inteſtinis diſcrepat, eſt enim *colon inteſtinum anfractuoſum & celluloſum longiſſimum* & *latiſſimum* in homine, *ligamentum* habens duplex, quorum alterum *latum* colon reddit celluloſum, alterum ad fœces ibi immorantes ac flatus cauſantes expellendas datum eſt: variis partibus annectitur *Colon*, quare plerumque in cognoſcendo affectus putatitios lienis, vulgò *melancolico hypocondriacos* dictos, & diſtinguendo dolores collicos à Neuphriticis & Stomachicis & vice verſa ſæpiſſimè falluntur Medici practici.

*Uſus* inteſtini colon eſt mediantibus venis lacteis etiam *ſaltem paucibus*, ad hoc inteſtinum tendentibus, extractioni particularum chyloſarum adhuc dum inſervire, tum ad *excrementorum collectionem, & retentionem facere*, Calore ſuo ventriculum partésque vicinas fovere, ad initium inteſtini Coli apponitur *membrana orbicularis* valvulæ loco, regurgitationi fœcum flatuúmque obſtaculum præbens, hinc Clyſterum materia ad inteſtina teniua plerumque pervenire nequit.

Tertium & ultimum craſſorum *inteſtinum rectum* vocatur eò quod recto itinere deſinat in anum ſive podicem, hoc oſſi ſacro â ſummo ad extremum oſſis Coccygis usque incumbit, eíque per *Perithonæum* adhæret, atque in viris *collo veſicæ*, in mulieribus vero *cervici uteri* mediante muſculoſa quadam ſubſtantia connectitur, longum eſt quaſi ſesqui palma, latum digitos circiter tres, craſſitudine verò & carnoſitate omnia inteſtina ſuperat.

*Unde* magnus harum partium conſenſus tam in viris quàm in mulieribus adeo, ut ſubinde exulcerato hoc inteſtino *excrementnm* ſæpe in fæminis per *pudendum* ejiciatur; tres habet hoc inteſtinum

num tunicas, foris multa pinguedine obductas; venas obtinet *Hæmorrhoidales* dictas tam internas quàm externas, illæ *à ramo venæ portæ;* hæ verò *à ramo hypogaſtrico* venæ cavæ oriuntur. Venas commitantur Arteriæ partim à ramo *Menſenterico inferiori*, partim ab arteria *Hypogaſtrica* orientes; Nervi quatuor etiam huic inteſtino inſeruntur ab *extremo ſpinæ dorſi* derivati, qui acutum illi ſenſum inferunt, pro ut in teneſmo experimur: extremitas hujus inteſtini *anus ſeu podex* dicitur, hoc foramine, & annulo rugis nempe annularibus plurimis dotato, præditum ideo ut quoties ad voluntatis arbitrium excrementa per hoc inteſtinum expurgari neceſſe ſit, illud aperiri latéque diduci, ac tum pro rei neceſſitate iterum contractis rugis claudi queat. Igitur ad hoc officium ritè peragendum ano inſerti ſunt *tres muſculi*, quorum primus *Sphincter* ſive ani conſtrictor, & reliqui duo *lævatores* nuncupantur, hi ab oſſium coxendicis & oſſis ſacri, ligamentis orti deſcendunt diſtincti ad Sphincterem, eique inſertionibus commiſcentur, ut poſt fœcum excluſionem hoc inteſtinum ſurſum retrahatur, ac *ani prolapſus* impediatur, Sphyncter verò anum circulariter amplectitur, aperit, & ſuo tempore claudit illum ac conſtringit, ne invitis nobis excrementa elabantur, quare peſſimum in ægrotis ſignum, ſi non percipientibus illis fæces effluant, utpote *reſolutionis nervorum* mortisque propinquæ indicium.

## § 13.

### *De Inteſtinis in Genere.*

PArticulari peracta *Generalis* ſequitur inteſtinorum deſcriptio, quare longitudo horum ſimul ſumptorum, ut plurimum *ſepties* ſuperat longitudinem hominis, in quo continentur, plurimos propterea *gyros & convolutiones* acceperunt, excepto eorum *principio & fine*, ideo ne ingreſſus alimentorum & egreſſus excrementorum impedirentur, inſuper ut propter convolutiones iſtas alimenta ad debitum concoctionis tempus usque contineantur.

Annectuntur inteſtina firmiter *Meſenterio*, & mediante illo *lumbis* ſuſpenduntur, & à cavitate oſſium *Illii* ſuſtinentur.

*Subſtantia* omnium inteſtinorum cum ſubſtantia ventriculi eadem eſt, contexta ex quatuor *tunicis* nempe externa & com-

muni *à Pheritonæo*, 2da *carnoſa glanduloſa*, 3tia *nervoſa & rugoſa*, 4ta intima cruſta *villoſa* dicta panno bombicino aut piloſo non abſimilis; prædita ſunt inſuper *copioſo muco*, quo mediante contra humorum diverſorum acrimoniam muniuntur.

Venas habent *à venæ portæ* ramificationibus, per quas ſanguis à nutritione reſiduus in Epar ut bilis ibidem ab hoc ſegregetur, ab hinc verò per venam cavam ad cor reportatur, Arterias verò *à cæliaca & Meſenterica* tam ſuperiore quàm inferiore recipiunt, quibus ſanguis chylo nutritio turgidus pro nutritione inteſtinis apportatur, plurimæ per illa diſperguntur *venæ lacteæ*, quæ chylum in ſe abſorptum per Meſenterium ad *receptaculum chyli* deportant, nervos denique ab octavo pari vago nanciſcuntur, moventur inteſtina motu proprio *periſtalico* dicto procedens ex contractione fibrarum motricium præſertim *ſpiralium*, quas in propriis tunicis diſperſas habent.

*Uſus* inteſtinorum eſt non ſolùm *alimenta in ventriculo digeſta ulterius reſolvere & perficere*, ſed inſuper ſegregationem portionis *utilioris ab inutili* facere, ut nempe ex iis portio utilis & chyloſa in *vaſa lactea* intrudatur, inutilis verò & ſtercoracea extra corpus foras nempe per *anum* eliminetur.

## §. 14.
## *De Meſenterio.*

M*Eſenterium* à ſitu nomen deſumpſit, quia in medio inteſtinorum poſitum eſt, & inteſtina inſtar circuli in *orbem complectitur, & colligit*, hoc etſi unum eſſe videatur, tamen dividitur in *Meſareon & Meſocolon* illi tenuia, huic craſſa inteſtina adhærent; oritur à ligamentis vertebrarum lumbalium & validiſſimo nexu præcipuè primæ & tertiæ *lumborum vertebræ* alligatur, unde magni illius lumborum cum inteſtinis conſenſûs cauſa deducitur; *figura* ejus fermè *circularis* eſt, ſi geminus excipiatur proceſſus, quibus mediantibus inteſtinum Colon dextro reni & Epati annectitur, in ſiniſtra parte id ipſum lieni & mediante inteſtino recto dorſo alligatur; *Magnitudo* ſpitamæ eſt à centro ad circumferentiam: *longitudo* verò ejusdem circumferentiæ

trium

trium ulnarum eſt, rurſum circumferentia in *plicas innumeras* contrahitur, ut inteſtinorum longitudinem coarctet, ac in convenienti ſitu ordinéque contineat conſtat *membrana* duplici & validâ, *Perithonæo* continuâ, inſuper pinguedine undique infarcta vaſis glandulíſque plurimis interſparſis:

*Quare* uſus ejus præcipuus, ut nempe vaſa ſibi interjecta in tam *longo itinere fulciat*, & quaſi ſuper pontem quemdam tutum ad inteſtina iter præbeat, ac ab omni *diſruptionis periculo* tueatur, inſuper & calorem inteſtinis impertiendo.

*Venas* habet Meſenterium *à vena Portæ* Arterias à ramo arteriæ magnæ *Meſenterico dextro ſiniſtróque* nervos à ramis octavi nervorum cerebri paris.

## §. 15.

### *De Vaſis Lymphaticis, & venis Lacteis.*

PRæter hæc verò vaſa inſuper quoque vaſa Lymphatica *& venæ lacteæ* ab Aſellio primo detectæ & chylum nempe albicantem vehentes innumeris ſparſis ramulis inter *duplicem* Meſenterii *membranam* deprehenduntur, à qua robur ſuum accipiunt, ne in vehementiori equitatione, alióque vehementi corporis motu rumpantur, numeroſiſſimæ *venæ lacteæ* in inteſtinis tenuibus obſervantur, præſertim cum *chylo turgeant*, non enim facile in conſpectum, niſi turgeſcant, veniunt, quare ſcrutandæ non ſunt, niſi in vivis animalibus largo à paſtu *quatuor horis* diſſectis quo tempore chylus plerumque diſtribuitur, pauciores in inteſtinis craſſis deprehenduntur, interum omnes obliquato ductu, per *meſenterium* nunc ſeorſim à vaſis reliquibus, nunc unâ cum illis varióque ductu, nunc recto, nunc comites ſuos decuſſantes ad glandulas Meſenterii aſcendunt, & inprimis ad glandulam majorem *Pancreas Aſellij* vocatam tendunt, ibidémque collectæ majoribus non nihil tubulis ad *receptaculum chyli* ſub glandula dicta majore latens, deferuntur, ubi omnem chyloſo ſeroſam ſubſtantiam deponunt. Hæ venæ lacteæ ſuas habent *valvulas* chyli ab inteſtinis introitum admittentes.

*Regreſſum* verò impedientes, quæ licèt ad viſum facilè demonſtrari nequeant propter ſummam earum *tenuitatem*, nihilominus tamen ſatis probantur, quòd ſi hæ venæ lacteæ magnam glandulam verſùs premantur, *mox inaniantur*, econtra verò ſi preſſio à magna glandula *inteſtina verſus* ducatur, *intumeſcant*, nec chylus ſine periculo ruptionis harum venarum inteſtina verſus propelli poſſit.

*Uſus* igitur *venarum lactearum eſt* chylum ab inteſtinis per venas lacteas primi generis ad glandulam memoratam Meſenterii magnam *Pancreas aſellinum* dictam, ab hac autem per venas lacteas ſecundi generis ad *cyſternam ſeu receptaculum chyli* à Pecqueto inventum deferre. Hoc probat ſucci contenti chyli nempe *color albicans* per tunicas horum vaſorum transparens, qui in animalibus 3. 4. & 5. à paſtu horis diſſectis lacti ſimilis cernitur, & finita chyli diſtributione diſparet, tuncque tenuiſſima iſta vaſcula iſtius liquoris defectu *concidendo* omnino conſpectum effugiunt, quare in cadavere humano plerumque morbo & longa inedia emaciato, & demum elapſis aliquod poſt mortem horis aperto, vix aut ne vix hæc vaſa lactea cernuntur.

## §. 16.

## *De Receptaculo Chyli.*

DEſcriptis igitur venis lacteis ad *receptaculum chyli* deveniendum quod ſitum eſt ſub centro Meſenterij circa lumbales vertebras Mediâ fere regione inter muſculos *Pſoas* Renes & Capſulas atrabilarias, exactè tamen in omnibus medium lumborum locum non ſervat; ſed in brutis plerumque verſus ſiniſtrum inclinat latus, nempe juxta *venam cavam deſcendentem* & *in angulo arteriæ magnæ* prope renem ſiniſtrum, rariùs autem ad dextrum aut in medio lumborum ſitum habet, in brutis plerumque unicum eſt unáque cavitate præditum ſubinde intercedente membranula quaſi in duas cellulas diſtinguitur; Bartholinus aliquando in humano cadavere *tria notavit receptacula chyli*, duo majora invicem poſita ſed mutuis ramulis lacteis juncta inter venam cavam deſcendentem & Aortam, & quidem in *illo angulo*

quem

quem venæ emulgentes cum cava & Aorta deſcendentibus faciunt, *tertium* verò ſuperiùs diaphragmati ejúsque principio plerumque nerveo ſub apendice vicinè poſitum deprehendit.

*Figura hujus receptaculi* à potiori rotunda & compreſſa eſt, nonunquam etiam ovalis, ſæpe implet ſpatium inter muſculos lumbales & renes ad glandulas atrabilarias usque expanſum, in hominibus minor eſt quàm in brutis, ſed in homine veſiculoſa ejus ſubſtantia ſolidior & craſſior exiſtit.

*Uſus Cyſternæ ſeu receptaculi eſt chylum è lacteis Meſenterii venis* omnem in ſe recipere, eundémque ad *ductum thoracicum* & abhinc *in venam ſubclaveam* deferre.

## § 17.

### *De Ductu Thoracico.*

IN ſuperna Cyſternæ ſeu Chyli receptaculi parte ſub diaphragmate aſſurgit ramus latiuſculus *ductus chyliferus ſeu thoracicus* dictus, qui tenui ac pellucida membranulâ conſtat ſpinæque circiter mediæ *ſub arteria magna* incumbit, hinc ulterius ſurſum procedens circa quintam & ſextam thoracis vertebram verſus ſiniſtrum latus deflectit, atque ſub pleura & glandula *Thymi ad venam ſubclaveam Siniſtram* aſcendit, in quam propè exortum venæ jugularis internæ modò duplici modò ſimplici ramo *ſe inſinuat*, ejùsque verò aperturæ in interiori venæ ſubclaveæ cavitate *valvulâ* obducitur, quà mediante chyli ingreſſus e ductu chylifero liber in venam ſubclaveam conceditur, regreſſus verò in ductum thoracicum obſtante hâc valvula ſemilunari præpeditur.

Inſuper & ipſe quoque ductus thoracicus multas intus habet valvulas, éasque geminatas *figura ſemilunares* chyli aſcenſum admittentes promoventésque, deſcenſum verò impedientes hinc fit, quòd contentus in hoc ductu chylus *ſurſum* digito facilè *deorſum* vero propelli minimè poſſit, igitur per hunc Canalem chylus mediante copioſâ affluente è glandulis Meſenterii lympha attenuatus ſurſum ad venam ſubclaveam devehitur; qui motus chyli in altum haud parum à valvulis ipſius ductus adjuvatur, ab illis enim chyli partes, quæ ſemel aſcenderunt, ubique per totum ductum

ne

ne delabi poſſint, ſuſtentantur adeoque *adjuvante motu diaphragmatis muſculorum Pſoas* & maximè *pulſu arteriæ magnæ deſcendentis* atque motu periſtaltico viſcerum & inteſtinorum à receptaculo omnis chylus neceſſario & Mechanicè *ſurſum* propellitur, interea verò cùm chylus ex receptaculo per ductum thoracicum ſurſum ad venam ſubclaveam ita movetur, vaſa lymphatica diverſis è locis prodeuntia, inque ductum thoracicum tendentia lympidum liquorem advehunt chylo permiſcendum ad illius *lentorem*, quo facilius ſurſum fluat diluendo impediendum, hujus itaque chyliferi ductûs demonſtratio *non ſemper* facilis eſt, quidpe cum tunica ſit pellucida, & ſub pleurâ lateat non tam manifeſtè in conſpectum venit, ſi *chylo vacuus* fecerit, qualis eſſe ſolet in illis multis poſt paſtum horis, vel poſt longam inediam apertis cadaveribus, manifeſtè verò apparet, ſic *chylo turgeat*, ac proinde in canibus *tertia* vel *quarta poſt paſtum hora* mactatis facile viſui occurrit, ubi ſæpe etiam ingreſſus venarum lactearum in magnam Menſenterii glandulam & dein in ipſum receptaculum chyli manifeſtè conſpicitur.

*Uſus* ductus Thoracici eſt, chylum ad *venam ſubclaveam ſiniſtram* hinc per venam cavam ad *cor devehere*, quod non ſolùm ex inſertione ductus & valvularum ſitu probatur, ſed ex eo etiam patet, quod ſi *lac copioſum* ſyphone in ductum chyliferum injiciatur, mox in venam ſubclaveam, hinc in venam cavam & per hanc ad dextrum cordis ventriculum una cum Sanguine venæ ſubclaveæ & venæ cavæ inexiſtente deferatur, ac dein per vulnus iſti ventriculo inflictum effluere conſpiciatur.

## §. 18.

### *De Pancreate vero.*

Explanatâ jam ductûs thoracici venarúmque lactearum hiſtoriâ jam ad partes infimi ventris & quidem *Pancreas verum*, contemplandum redibimus, quod quaſi *totum glanduloſum laxum & informe* corpus eſt ad primas lumborum vertebras ſub poſteriori ventriculi parte & ad latus ſiniſtrum inteſtini duodeni ſitum à quo usque ad lienis regionem extenditur atque membrana tenui à Perithonæo inveſtitum ſuſpenditur.

*Fi-*

*Figuram* obtinet *oblongam* & *depreſſam* longitudine tres vel quatuor ſubinde etiam 6. vel 7. adæquat digitos transverſos. *Subſtantia* ejus *tota glanduloſa eſt*, conſtat enim ex multis glandulis *racematim* inter ſe cohærentibus, & communi membrana incluſis: *Colore* pancreas palidus eſt, vix leviſſimam Sanguinis tincturam referens, ita ut neque in ſubſtantia, neque in colore ullam carnoſarum partium ſimilitudinem habeat, in *pancreatis medio* ex minutiſſimis glandularum vaſculis excretoriis undique hic concurrentibus *Canalis ſingularis* mediocris capacitatis excurrit, & ſecundùm ejus longitudinem verſus *inteſtinum duodenum* tendens ab inventore *ductûs viſurgianus* appellatur. Hic unicuseſt, per medium hujus viſceris decurrit, & brevia numeroſaque ac exilia vaſcula excipit, quæ in hunc ductum ex omnibus glandulis concurrunt, è quibus totum Pancreas conſtituitur, & humorem lymphaticum ſalino ſpirituoſum (in memoratis Pancreatis glandulis ex maſſa Sanguinis ſegregatum) inſtar minimorum rivulorum in memoratum ductum & mediante hoc ductu ad *inteſtinum duodenum* pro inſigni ibidem uſu deferendum effundunt. Quare ductus Pancreaticus *quatuor interdum 5. vel 6. digitorum transverſorum* latitudine à Pyloro in *inteſtinum duodenum* proximè ab inſertione ductûs choledochi inter binas hujus inteſtini tunicas *tortuoſo modo* implantatur, ac inſeritur, & non rarò ductus iſte etiam in ipſum *ductum bilarium* exiturientem aperitur. Inſuper notatu dignum eſt, quod in ipſo ducto Pancreatico ſuccus inexiſtens *nunquam* inveniatur, & hoc ideo fit, quia declivi via ſuccus memoratus celeriter in inteſtinum duodenum fluit, eodem verè modo ſicut urina è renibus per *uretheres* in veſicam urinariam fluens propter rapidum tranſitum *nunquam in uretheribus* deprehenditur.

*Venas* Pancreas à ramo *venæ portæ & ſplenico*, Arterias ab *arteriæ cæliacæ ramo ſiniſtro* interdum etiam ab *arteria ſplenica* habet. Nervos exiguos ob octavo pari & in primis à *plexu ſuperiori abdominis* ſed exiles recipit.

*Ad uſum* Pancreatis tanti equidem is neutiquam à veteribus habitus fuit, quanti hodienum à recentioribus æſtimatur, quare tam multifariæ de Pancreate opiniones paſſim in Auctoribus priſcis conſpiciuntur. Gallenus Lib. 5to de uſu partium Cap. 5to

ait: *uſum Pancreatis* eſſe *fulcire vaſa*, quæ ibidem diſtribuuntur hinc tantùm *pulvinaris loco* ventriculó ſubſterni ac Diſtributioni vaſorum ſervire exiſtimat. Alij chylum ex inteſtinis admittere, alij crudiorem ſanguinis portionem expurgare, alii eſſe quaſi veſiculam bilariam lienis & hinc lienis ægrotantis vicem ſubire, alij Pancreas chylum recipere, eúmque ad majorem perfectionem excoquere, & alia ſimilia putârunt: Cùm autem Pancreas ſit corpus verè *glanduloſum*, hinc prout omnes glandulæ lympham Salino ſpirituoſam ex maſſa ſanguinea ſegregat, ſegregatúmque per ductum ſuum tanquam humorem lympidum, & quaſi ſalivalem & maximè neceſſarium in *inteſtinum duodenum* effundat, *eum in finem* hoc fit, ut in *ciborum reliquias* per Pylorum in duodenum prolapſas necdum à particulis eſſentialibus & homogeneis *ſufficienter extricatas* imiſceatur, eóſque per novam reſolutionem *attenuat, reſolvátque* ac talimodo particulas ſpirituoſas à craſſis inutilibus ac fœculentis liberet. Equidem bilis per *ductum choledochum* in idem inteſtinum duodenum influens ſale ſuo *Alkalino volatili oleoſo ac Sulphureo* tanquam *Balſamo* ad memoratum hoc *chylificationis negotium* plurimùm contribuit. Ex hoc igitur fundamento, quod nullus ſanæ mentis in dubium vocabit, eruimus ex ſucco Pancreatico ac quoque alkalino Sulphureo bilioſo utroque nempe 2.dùm ſtatum ſuum naturalem bene valente *maximam ſanitatis partem* dependere, malè econtra valentibus *plurimos morbos*, hactenus *lienis, Epatis, Meſenteriique*, aliarúmque partium vitiis aſſignatos à modo dictis *vitiatis & deſtructis Succis* procedere, hinc propter horum nimiam pravámque in inteſtinis *efferveſcentiam*, vomitus *acido amari*, rugitus, flatus, tenſiones diarheæ, diſſenteriæ, Colicæ paſſiones, aliíque *plurimi morbi* reſultant, unde febrium aliorúmque *morborum chronicorum* exordiæ hac in parte ſæpiſſimè exiſtunt; Juxta proverbium illud vitia in prima digeſtionis regione exiſtentia, neque in 2.da neque in tertia facilè corriguntur.

## §. 19.

## *De Epate.*

A Pancreate ad *Epar ſeu Jecur* revertimur, quod eximium viſcus in *dextro hypocondrio* ſub diaphragmate ſitum vaſtæ magnitudi-

tudinis in ſuperiori parte *convexum* ſeu rotundum in inferiori ſeu infimâ parte, quâ ventriculi dextro lateri incumbit *concavum*, & calore ſuo ad faciliorem ciborum digeſtionem conducit, Epar numero communiter unum & indiviſum eſt, quandoque ſed rarò diviſum, inque lobos diſtinctum alicubi accidit, ubi verò duo apparent id *prodigioſum* vocamus, quia diviſura iſthæc præternaturalis eſt, quoniam ſine illa in homine, qui rectè incedit melius ventriculum, complectendi munus obire poteſt.

*Subſtantiam* Epar habet *mollem & rubicundam* inſtar Sanguinis concreti & cùm firmitas ſimul appareat, propterea *parenchima* vocatur; Color rubicundus oculis obvius ratione ſuæ texturæ ei non eſt *proprius*, ſed *aſcititius*, & à copioſo ſanguine mutuatus, quia aqua elatum *palleſcit*, vel leviuſcule *flaveſcit*, inſupérque per noctem aquæ immerſum depoſito in aqua ſanguine *album* evadit; Dividitur Epar quo ad figuram in partem *ſuperiorem* ſatisque *rotundam*, quâ diaphragma ſpectat, & iſta pars *convexa* ſeu *gibba* vocatur, eſtque pars æqualis & lævis, in qua poſterius *ſinus* cernitur, qui *venæ cavæ* tranſitum præbet, & dividitur etiam in partem inferiorem *cavam ſeu ſimam* dictam, qua ventriculum & inteſtina ſpectat, eſtque iſta pars inæqualior, in qua duo etiam ſunt *ſinus*, unus ad dexteram partem pro veſica bilaria alter ad ſiniſtram, qui ſubiacenti Stomacho cedit. Epar immediatè membrana inveſtitur tenui, qua mediante *diaphragmati* annectitur & ſuo modo ſuſpenditur, quæ à Perithonæo ortum habet in hac membrana veſiculæ ſubinde conſpiciuntur aqueæ, *hydatides* dictæ, ex quibus ruptis teſte Platero hydrops ſæpius oritur.

Connectitur Epar undequaque cum partibus vicinis per *tria valida ligamenta*, & primo abdomini per *venam umbilicalem*, quæ in adultis poſt partum coaleſcit, & in *ligamentum* abit, 2dò ſuperius diaphragmati à dextra parte per *ligamentum latum membranoſum tenue*, ſed tamen validum à Perithonæo, qua diaphragma cingit ortum, & hoc *ligamentum ſuſpenſorium* dicitur, tertiò denuò diaphragmati ſuperius ſed à ſiniſtris per aliud ligamentum à Perithonæo natum, quod *teres* & validiſſimum eſt, 4tò poſterius ubi vena cava tranſit, & hîc gibba in parte Perithonæo adhæret; Nervulos recipit Epar exiles quatuor, duos *à ſexto pari*, tertium à *Stomachico*, & quartum ab *intercoſtali*;

 ma-

majoribus & pluribus Epar non indiguit nervis, quia non exactè ſentire, ſed *bilis ſegregatorium* exiſtere debuit.

Obſervantur inſuper in Epate canales qui, *pori bilarii* dicuntur, itidem vaſa lymphatica plurima Epar perreptantia ſuccúmque limpidum ſimul ac pellucidum ferentia cernuntur. Arterias obtinet exiguas *à cæliaco ramo dextro* juxta venam portæ illud ingredientes, nam ſubſtantia Epatis arteriis vix opus habet, cùm ei ſanguis ſat copioſus per *venam portæ* affluat (quæ hîc arteriæ munere fungitur) qui ei ad *humoris bilioſi* ſegregationem convenientior eſt, quàm ſanguinis arterioſus. Venas habet duplices, & quidem in ſuperiori parte *vena cava* Epati annectitur, quæ plurimis ſurculis & propaginibus ipſum Parenchyma ſubit, his propaginibus in inferiori parte occurrunt ramuli *venæ portæ*, qui ſimul per totum hoc viſcus percurrunt.

*Uſum* Epatis Ariſtot. Lib. 5. de partibus animalium declarat, his verbis *Cor & Epar omnibus animalibus neceſſario ſunt;* illud propter caloris originem, hoc verò coctionis gratia; Aſt Ariſtotele prolixius Epatis uſum docet Galen. Lib. 4. de uſu partium Cap. 3. ſic inquiens: *ipſum autem Epar, poſtquam id nutrimentum acceperit*, à famulis jam præparatum & veluti rudem quamdam delineationem ac obſcuram ſanguinis ſpeciem referens, inducit eidem *ultimum ornatum* ad *ſanguinis perfecti generationem*, & rurſum idem Galenus capit. 12. in eodem Libro diſquirit, quænam pars Epatis ſanguinem generet, rejectiſque venis, arteriis, nervis, tunicâ, poris, & veſiculâ fellis, tandem *ſoli carni Epatis* ſive Parenchymati id muneris tribuit, *Caro ait:* Epatis, quæ eſt *primum & proprium ſanguificationis ipſius organon & venarum principium*, quam ſententiam plerique poſtea amplexi ſunt. Igitur Epar venerabantur antiqui ut reipublicæ animalis *ſupremum præſidem* tradito ei *Hæmatoſeos Miniſterio*, prout nempe ex venis meſeraicis liquidum nutritium per venam portæ in eum immediatè deferri, inque *purpureum* ibidem cruorem, coquendum autumabant. Aſt valde decepti fuêre veteres, & præclariores de rebus jecoris notitias debemus *recentiorum indagini induſtriæq́s* ac præcipuè celeberrimo *Pecqueto*, qui antea inviſos & novos chyli ductus *venas nempe lacteas* detexit, per quas chylus ab inteſtinis immediatè ad Epar, ùt Galenus vult *neutiquam* defertur,

ſed

ſed ut ſuperius dictum à venis lacteis *primi generis* abſorptus ad glandulam magnam *Pancreas Aſellii* dictam, in eadem novâ ibidem lymphâ affluente dilutus, per vaſa lactea *ſecundi generis* ad cyſternam ſeu receptaculum chyli, à quo per ductum thoracicum ſurſum verſus jugulum in *venam ſubclaveam* infunditur, ubi ſanguini *primò* mixtus deportatur ad *venam cavam*, à qua nullo modo in *Epar* ſed immediatè ad *dextrum cordis* ventriculum lege circulationis vehitur, ibique ſanguini magis comiſcetur, ac in plumonibus vi ſpiritûs aereo nitroſi ſummè *exaltatur*, *volitiliſatur*, ac tandem ad nutritionem *perfectè habilis & aptus* redditur: Cùm igitur Epar tam vaſtæ magnitudinis parenchima à natura conſtitutum ſit, exiſtimamus illum non tantùm ad dextri *Hypocondrii cavum* replendum ſed ad alium majorem uſum conſtructum eſſe, interea tamen nullum *publicum* in viventium Corporibus, ſed *privatum* exercere officium, adeóque inter *partes miniſtrantes* non verò *principes* numerandum eſſe cenſemus. Hinc *perilluſtris Malphigius* Epar *glandulam maximam conglomeratam*, bilem ex maſſa ſanguinea ſecernentem eſſe obſervavit; Et Glyſſonius Epatis Parenchyma *colatorium quoddam peculiare* eſſe exiſtimavit, per quod ſanguis & humores percolantur, atque *alteratio peculiaris* ipſis in Epatis percolatione imprimatur, Epatis igitur munus eſt *bilem ſeu humorem felleum* ex maſſa ſanguinea ob ſuam peculiarem *acinoſó vaſculoſam* ſtructuram ſegregare ſegregatámque cùm ad veſiculam felleam per porum bilarium tum ad inteſtinum duodenum per ductum cyſticum amandare, ut ibidem ciborum reliquiis ſe imiſceat, & mediante tali menſtruo non ſolùm chylus diſſolvatur, ſed *balſamico quaſi rore* imbuatur, & ſic ad totius corporis nutritionem ejusdémque ſuſtentationem aptus reddatur.

## §. 20.

### *De Ductibus Biliferis & Veſicula fellea.*

AD *bilis* in Epatis ſubſtantiâ acinoſa ſeparatæ receptionem in dextra & cava Epatis parte *duo ſinus* inſculpti ſunt, *veſica* nempe *bilaria*, & *Canalis ſeu porus bilarius*, illa tam arctè Epati inſinuata eſt, ut fermè media ejus pars in ipſo

abſcondita ſit, parte verò altera, qua ab Epate libera eſt dextro *ventriculi lateri* ac inteſtino *Colon* incumbit, adeóque inteſtinum hoc *flavo* per tunicas Cyſtis felleæ tranſudante *ſucco* eodem colore tingit: *Magnitudinem* Veſicula fellis habet in aliis minorem, in aliis præcipuè verò bilioſis majorem, ùt plurimùm longitudine duos *Digitos transverſos*, latitudine verò digitum pollicem æquat, figuram obtinet *pyriformem* è latiore enim & rotunda baſi, deſinit in apicem anguſtum & rotundum, igitur Cyſtis ſeu veſicula fellea *in fundum & cervicem* dividitur, quorum ille à Cervice ſacculi inſtar pendulus eſt Colore bilis contentæ modo *flavo* modò *æruginoſo*, modò *nigricante* tinctus, Cervix fundo eſt *durior* ſurſum ſpectans oblongatur & anguſtatur, donec in meatum tenuem *ductum cyſticum* dictum abeat, qui in communem ductum inteſtina petentem deſinit, duplici donatur membrana una exteriore membranoſâ *à Perithonæo* orta, quæ partem veſiculæ extra Epar pendulam inveſtit, & eam Epati annectit, eadémque eſt cum Epatis exteriore membrana altera interiore propria craſſiore & *muco craſſo* intus contra contenti humoris bilioſi acrimoniam munita: Venas & arterias gemellas *Cyſticas* dictas, illas à trunco *venæ portæ*, has ab arteria *Cæliacâ dextrâ:* Nervulum obtinet parvum vix conſpicuum *à ſexti paris exili* propagine Epatis tunicam perreptante: *Uſus igitur* veſiculæ fellis eſt ad aliquod tempus *bilem retinere*, & poſtea hanc verſus *inteſtina expellere* ad ſupra memoratos uſus; Alterum vas *Porus bilarius* eſt, & eſt Canalis oblongus & latus, qui non procul à venæ portæ trunco ex Epate procedit, hic canalis ſub ingreſſu in Parenchyma Epatis dividitur, & altero ramo dextram ejus, altero ſiniſtram partem totam perreptat medius ubique inter venarum *Portæ & Cavæ* radices percurrens ac bilem ex omnibus jecoris angulis ſegregatam congregat, atque in *ductum communem* exportat: Hinc porus bilarius extra Epar conſpicuus ad differentiam ductûs Cyſtici *ductus Epaticus* dicitur, & eſt Canalis, in quem omnes pori bilarij capillares ſurculi per Epatis ſubſtantiam diſperſi, bilem *fluidiorem* ibidem ſecretam abſorbentes ſe ſe exonerant, atque bilem per ductum *choledochum* ad *inteſtinum duodenum* maximo uſui inſerviendum deportat, hic Porus bilarius *principalioris* eſt uſus, quàm veſica fellea, nam multa animalia *veſica fellea* carent non autem *poro bilario*, *ductus communis* incipit, ubi *Epaticus*

*ticus & ductus Cyſticus connectuntur*, & angulum efformant, & ideo dicitur ductus communis, quia in eum tam ductus *Cyſticus* quàm *ductus Epaticus* ſe ſe exonerant, in concurſu horum duorum ductuum *Canalis* communis extra Epar figuram Græcorum Y efformat, linea ſiniſtra *ductum cyſticum*, dextra verò *ductum Epaticum* deſignat, progreſſus amborum in unum conjunctorum *ductus communis* ſive *choledochus* appellatur, qui circa duodeni inteſtini *finem*, vel *inteſtini jejuni principium* nonnunquam ſed rarò ipſum ventriculi *fundum* (unde frequentiſſimus flavæ bilis vomitus cum ſummâ oris amaritie) *in Pycrocolis* Græcè dictis oboritur obliquè & tortuoſè inter utramque inteſtini tunicam plerumque ſimplex aliquandò geminus inſeritur, & verſus inteſtini cavitatem *aperitur*, ſuccúmque alkalino Sulphureum, vulgò *bilioſum* dictum ad imbalſamandum ac à *putredine* & acceſcentiâ præſervandum chylum *motúmque periſtalticum inteſtinorum promovendum* ad inteſtina deponit:

## §. 21.

## *De Liene.*

EX Epatis parte oppoſita in ſiniſtro nempe Hypocondrio poſitus eſt *lien ſive ſplen*, qui tanquàm alterum Epar ad Corporis æquilibrium ſub diaphragmate inter ventriculum & coſtas notas ſitus eſt, cavum ſuum cavo Epatis habet adverſum, gibbum verò dorſo, neque extra coſtas propendet, neque *tactu* deprehendi facile poteſt, niſi juſto ſit *tumidior*, & antrorſum ac deorſum verſùs *umbilicum* inclinet:

*Figuram* obtinet variam, ùt plurimum tamen *linguæ bovinæ* non abſimilis eſt, unde *linguoſum* viſcus à nonnullis dicitur, foras ad latus ſiniſtrum *gibboſum* eſt, nonnunquam ad coſtas notas impreſſiones habens, parte cavâ adjacentem ventriculum reſpicit in hac parte per mediam longitudinem lineâ quadam albâ eminentiis quibusdam dotatâ obſervatur. *Longitudo* lienis in hominibus diverſa eſt, pro corporum & conſtitutionum diverſitate, plerumque longitudinem habet 6. *fermè digitorum* latitudinem *trium transverſorum*, craſſitiem verò *pollicis*; Parenchyma ejus *veſi-*

*veſiculosò vaſculoſum* eſt, hinc ſpongioſum & rarum ſecus quàm Epatis, quod ſolidius & compactius eſt, in fætu *rubet*, in adultis *ſubnigricat*, in ſenibus *liveſcit*, parte convexa *diaphragmati* unde reſpirationis ſubinde difficultas, ſimâ verò ſeu depreſſa parte *reni ſiniſtro* per tenues membranaceas fibrillas è Perithonæo enatas adhæret, itidem *omento ventriculo* ac vicinis partibus annectitur. Duplici circumdatur membrana una exteriore *à Perithonæo*, propria verò à vaſis lienem ingredientibus pronata, & eleganti ac mira fibrarum implicatione contexta per hanc membranulam & arteriæ, venulæ nerviculi copioſi ac vaſa lymphatica inſtar *retis cujusdam* intertexta ſunt.

Arteriis irrigatur duabus una ad *elatiorem*, altera ad *demiſſiorem* partem ingrediente hæc ab arteriæ *cæliacæ ſiniſtræ* ramo, quæ vulgo *arteria ſplenica* vocatur, illa ab ipſo *Aortæ trunco* exeunte & flexuoſo ductu ſecundùm Pancreatis latus ad lienem procedente deducitur, ac in plurimos ramulos per lienem diſſeminatur, à quibus plus minus compreſſis in affectu hypocondriaco inveterato nota illa *pulſatio in ſiniſtro hypocondrio* plerumque cauſatur. *Venam magnam* lien ex ſima parte emittit, quam etiam *ramum ſplenicum* appellant, qui ramus innumeris radicibus parenchymati inhæret, ex quibus ſenſim coeuntibus, modò tres, modò plures majores rami efformantur, mox extra lienem in unum nempe ramum *ſplenicum* coeuntes, qui transverſim ſub ventriculo per omenti ſuperiorem alam in *venam portæ* excurrit, in eàmque ſe exonerat, per quam ſanguis in Epatis Parenchima pro ſegreganda inibi materia Alkalino bilioſa ingreditur. Porrò in dictis venis prope exitum à liene *valvulæ* dantur foras ſpectantes, ſicque conſtructæ, ut è ramo ſplenico nihil ad *lienem* ſed contra ex liene ſanguis in *ramum ſplenicum* & ab hoc ad *venam portæ* libero tranſitu influere poſſit, ex ſupra porro dictis venis, ramus maximus *vas venoſum breve* vocatur, quod etiam ramum ſplenicum ingreditur, cujus radices *à ventriculo* proveniunt & ejus fundo inhærent, atque à diverſis ductibus duo vel tria vaſa brevia conſtituuntur, quæ omnia in ramum ſplenicum incurrunt, unde antiquorum error, qui *Sanguinem acidum à liene in ventriculum* eructandum pro *apetitu ciendo* putàrunt; Aſt verò ſanguis in venis brevibus contentus non *ad ventriculum* ſed *à ventri-*

*tri-*

*triculi tunicis* redux in *vas ſplenicum*, hinc ad *venam portæ* & ab illa in *Epar* deportatur, ubi ſegregatione materiæ bilioſæ factâ à ramulis *venæ cavæ* reabſorptus per hanc ad *dextrum cordis ventriculum* unà cum ſanguine *novo chylo* imbuto, ac per venam *ſubclaveam* apportato deducitur, rurſum ab ani parte interiore vena quædam ſurſum aſcendit, ac etiam ſæpius memoratum ramum ſplenicum ſed in inferiori parte ingreditur, ſuúmque ſanguinem ab inferioribus ani partibus reportantem in illum ramum ſplenicum infundit, & modo dictæ venarum radices per anum diſſeminatæ *venæ hæmorrhoidales internæ* ac in praxi multùm obſervabiles nominantur. *Nervulos* lien à ſexti paris ramo inter coſtali ſiniſtro non ſolùm per tunicam ſed per ejus ſubſtantiam diſperſos recipit.

## §. 22.

### *De Uſu atque officio Lienis.*

DE *Lienis officio ſeu actione*, tam variæ & diverſæ exſtant opiniones, ut veritatem aſſequi planè operoſum ſit. Galen Lib. 4. de uſu partium Capit. 15. ejúsque aſſeclæ putârunt, lienis actionem eſſe *ſuccos limoſos & craſſos*, itaque *Melancolicos in Epate & Stomacho genitos per ramum ſplenicum & vas breve attrahere, ac colligere*, eósque in ſua ſubſtantia excoquere, id eſt craſſum ac terreſtre à puriori ſegregare, tum rurſum partem *puriorem* in ventriculum per vas *venoſum breve* ad famem excitandam, partem verò *craſſiorem* & impuriorem partim per *ramum ſplenicum* ad inteſtina, partim per *venam hæmorrhoidalem* ad podicem deponere. Quàm verò opinionem refutavit Bacchius, Riolanus & Bartolinus hoc nitentes fundamento, quòd lien nihil quidquam per ramum ſplenicum *ab Epate* (vel per vas venoſum breve *à ventriculo*) recipiat; & hoc probat motus ſanguinis in vivorum animalium ſectionibus inſtitutus, & *valvularum* conſtitutio *injectiones* & *inflationes*: Veſalius, Platerus, Spigelius aliíque Anatomici multi, hoc viſcus *deficiente Epate ſanguificandi munere fungi crediderunt*, confirmati in ſua ſententia, quoniam lienem *Epatis Vicarium* ab Ariſtot. nuncupari audiverunt, inſuper videntes liene malè affecto ſanguificationem

lædi, & lienis vitia ac Epatis morbi propemodùm iiſdem remediis tolli: itaque hoc viſcus *vicarium Epatis* nominârunt & lienem eſſe *viſcus ſanguificans* non minus ac Epar ſtatueruut, iſtum autem ſanguinem in liene confectum *nutritioni viſcerum* in abdomine *contentorum* inſervire putârunt, hanc verò ſententiam plurima de *ſanguificatione* in ſcriptis noſtris dicta ſatis evertunt, cùm enim ſanguificatio ſit actio *ſimillaris*, & non *organica*, hinc neque in liene nec in Epate nec denique in ipſo corde efficitur. Rurſum *Geſnerus Piſò & Corringius Hypoc.* inſecuti *ſolum potulentum* à liene *ex ventriculo* exſugi, & ab hoc in venas diſtribui exiſtimant, aſt cùm nullæ dentur viæ, per quas lien humores *è ventriculo* attrahere poſſit relicto inibi chylo; alius à nobis lienis inveſtigandum erit uſus. Cùm igitur in toto corpore humano non detur viſcus, in quo tot *Arteriolarum venarúmque nervulorum* ac *vaſorum lymphaticorum* & ut aliqui volunt, glandulis intertextis commixtorum detur confluxus. Itaque concludimus ſanguinem ex venis Meſeraicis venoſum & propter *defectum lymphæ* quæ, in inteſtinis pro *fluiditate chyli* conſervanda magna parte ad venas lacteas, glandulam majorem, receptaculum chyli, ductúmque thoracicum apportatur, ſicque *craſſum* ac ad circulationem minùs aptum in lienem refluum ſanguinem Primo nempe in liene propter copioſum ſanguinis arterioſi ac ſpirituum animalium per nervos delatorum, nec non lymphæ copioſæ per vaſa lymphatica concurſum, ſanguinem inquam *craſſum* hîc de novo *fermentari;* id eſt in liene *mobilem magìs*, *ſpirituoſum volatilem* hinc *fluidiorem* & ad circulationem aptiorem reddi.

Secundò hunc ſanguinem venoſum ac à venis meſeraicis refluum in liene vi prædictorum concurſu exaltatum, propter mirificam hujus viſceris ſtructuram *certam ac ſpecialem energiam concipere*, ut hîc ſanguis per ramum ſplenicum non in venam cavam, ſed in *venam portæ*, & ab hînc immediatè *in Epatis ſubſtantiam* delatus ad *bilis* ſeu particularum Alkalino 🜍 rearum tanquam *chyli ſanguiníſque balſamum*, faciliorem in Epate *ſegregationem ſubſequendam prævie diſponatur*, *quæ* inſuper *energia* ſanguini in liene impreſſa ita totam maſſam diſponit, aptámque reddit, ùt ſcilicet diverſæ ſanguinis particulæ hac virtute exaltatæ liberiores conſerventur, hinc occurſantibus reliquarum partium ſtructuris

ſub

ſub debitâ v. g. *ſalivæ*, *ſucci Pancreatici*, *menſtrui gaſtrici* formâ faciliùs ſeparentur, & his rationibus ſanguinis compages *in liene*, concurſu *ſpiritûs arterioſi* ac *liquidi nervoſi* lymphæque ſalino ſpirituoſæ nova *energia atque virtute* imbuitur, & fovetur; Unde facilè patet, quare hoc Viſcere malè ſe habente tota maſſa ſanguinea *lenta craſſa vappida mucida ac viſcoſa* & ad circulationem minùs apta utì in affectibus *hypocondriacis* & *ſcorbuticis* frigidis contingit, evadat. Hinc ſanguine idonea fermentatione ac volatiliſatione deſtituto, neceſſariò *cachexiæ*, *hydropes* plurimíque morbi chronici inducuntur.

## §. 23.

## *De Renibus.*

PErpenſâ Epatis lieníſque ſtructura his propinquos & profundiori loco collocatos *renes* ſcrutabimur, qui â Græco verbo *Reo id eſt fluo* eò quòd per eos urina fluat, nomen traxêre, *Nephri* etiam vocantur, quod vocabulum *mingentes* dicit, ideo renum dolor *Nephritis* vocatur, ſiti ſunt utrinque in *lumbis* juxta ultimas coſtas intra Perithonæi *duplicaturam* abſconditi parte ſimâ introrsùm, gibba verò extrorsùm ſpectantes, ac ſub Epate & liene ad venæ cavæ & arteriæ magnæ, ſpinæque lumborum ac muſculis Pſoas dictis, atque ſub his latentibus crurum *magnis nervis* utrinque incumbunt renes, unde fit, quod in Calculo reni inexiſtente *Stupor* in ejus lateris *Crure* perſentiatur, duo communiter renes ſunt, ut uno læſo alter ſuo fungatur officio, hinc non tam facilè *urina* ſupprimatur, rariſſimè plures vel pauciores adſunt, ùt plurimùm autem dexter ren ſiniſtro eſt *inferior* ſitus, ut cedat magnitudine jecoris, cui proximè ſubjacet: longi ſunt renes quinque *digitos transverſos*, tres lati, & unum craſſi, raró autem utriusque magnitudo *æqualis* eſt, quia ſiniſter dextro ferme ſemper *major* invenitur.

*Figura Phaſeolum* aliquo modo referunt, exterius ſunt gibbi ſeu convexi, interius verò ubi ſcilicet venam cavam & arteriam magnam ſpectant, concavi ſunt, aſt eorum latera paululùm ſunt elata.

Supervicies non minùs quàm in epate lævis eſt ac lubrica, in *fœtibus* renes ſunt *inæquales*, ac ſi ex pluribus *coagmentati*

eſſent *globulis ac lobulis*, quam formam etiam in adultis ſervant, maximè in bove, urſo, & vitulo.

Inveſtiuntur binis tunicis, quarum exterior à Perithonæo oriunda renes laxè ambiens multùm pinguedinis in obeſis ſuſtentat, quæ renes penè occultat, ac propterea hæc *tunica adipoſa* vocatur, interior ab extremitatibus vaſorum enaſci creditur, ac renes exactè admodùm ſuccingit, ſed tamen ab iis facilè & ſine ſubſtantiæ dilaceratione ſeparari poteſt.

Color renum *obſcurè ruber eſt*, malè verò affecti, quemadmodùm in reliquibus viſceribus contingit, variè colorantur.

Connectuntur renes per membranam externam, quæ à Perithonæo eſt, *lumbis* & *diaphragmati*, per vaſa emulgentia junguntur venæ cavæ & Aortæ, per Uretheres *veſicæ*, & dexter ren *cæco inteſtino* quandoque jecori, ſiniſter verò lieni *& inteſtino colon*, hinc propter flatuum & excrementorum copiam exacerbatur neuphriticus dolor.

Ipſa renum *ſubſtantia*, quatenus viſui occurrit, apparet quaſi fibroſa ex concurſu & comixtione minimorum vaſculorum intercedente aliqua carnoſitate, variis exiguíſque alveolis dotata, externo contactu duriuſcula, ſed interius tamen modicè ſpongioſa coloris rubicundi, verſus pelvim verò magis palidi, ſed hæc omnia noſtro judicio *glandularum minimarum* variis vaſculis intertextis congeries ſunt.

In Rene interiore continetur *pelvis ſeu infundibulum*, quod nil aliud eſt, quàm *ſinus membranaceus* factus ex urethere in cavo, renis expanſo ac dilatato, & ab apertis ramulis, quorum ùt plurimùm ſunt octo, vel decem inſtar fiſtularum proveniente, quibus ſingulis imponuntur *carunculæ* vulgò *papillares* dictæ inſtar glandularum, ſed minùs ſunt coloratæ atque duriores reliqua carne magnitudinis piſi, ſuperius latiuſculæ, inferius convexæ perforationes anguſtiſſimas habentes, quæ vix *capillum* admittunt.

## §. 24.

## *De Vaſis emulgentibus.*

IN renibus omnis generis reperiuntur vaſa nempe arteriæ & venæ *emulgentes dictæ*, nerviculi, vaſa lymphatica & uretheres, de quibus inferius dicemus: *Igitur arteria* emulgens utrim-

utrimque ex *arteriæ Aortæ* deſcendentis *trunco* producitur, & ſimam renis partem ſubit, geminata prius hinc diverſis ramis per ejus ſubſtantiam diſpergitur, ac in minimos & inviſibiles ſurculos evaneſcit, per hanc ſanguis copioſus in renes defertur, partim pro renum vaſorúmque nutritione, partim ut in renum glanduloſa ac mira pororum fabrica *ſerum ſuperfluum* à ſanguine ſegregetur, ac tum ſub forma *urinæ* evacuetur:

*Vena verò emulgens* paulò amplior eſt arteriâ, hæc innumeris radicibus in unum truncum concurrentibus reni ac ejus denique glanduloſæ ſubſtantiæ inhæret, ac ex ſima renis parte exiens *in cavam* procedit, in quam aperitur, ejúsque ad cavam ingreſſui mox *valvula inſignis* opponitur ab inferiori parte ſurſum ſpectans, ita ſita, ut ſanguini liberum in cavam tranſitum concedat, ſed ejusdem refluxum è *cavâ* in *emulgentem* impediat, ex quo certum eſt ſanguinem per ſolam *arteriam emulgentem* in renem impelli, ejusdémque partem à nutritione reſiduam ac à magna ſeri quantitate liberatam per *venam emulgentem* refluere in cavam, ex qua ad cor pro ulteriori ſanguinis circulo continuando defertur.

Vaſa lymphatica renum facilè demonſtrantur, ſi poſt elutriationem partis vena emulgens *ligetur* ac tum coloratæ & repetitæ *injectiones* in eadem vaſa lymphatica celebrentur, *nervuli* renibus ſunt quidem exigui à vagi *paris plexu* atque à ramo *Stomachico* producti, ac per renum ſubſtantiam diſperſi, & tandem concurrentes in uretheres ſe ſe extendunt, & his *acutiſſimum ſenſum* conferunt, hinc etiam in cauſa ſunt, quod in neuphriticis doloribus, ubi Uretherum principium *afficitur*, mox *ventriculus in conſenſum* protractus ſubvertatur, ac vomitus enormes oboriantur, econtra quatenus nervuli tenuiſſimi ac per ipſam renum ſubſtantiam *diſperſi* ſunt: ideò renum dolores *gravativi* ſunt, qui tamen augentur mox, ubi calculus in uretherum principium *pelvim* dictum tanquam nervoſo-membranoſum hinc ſummè ſenſibile ingreditur.

## § 25.

### *De Uſu atque Officio renum.*

U*Sus igitur & actio renum eſt redundantem ſeroſitatem*, ac cum hac varia ſalia Hæterogenea ex maſſa ſanguinea ſegre-

gare, hinc ſub forma *urinæ* foras extra corpus amandare, quâ autem ratione & quomodo hæc actio fiat, controverſia ſemper fuit inter Auctores, cùm alii ſerum hoc expurgari voluerunt, virtute renum *attractivâ*, alii per venarum *expulſionem*, alii hoc fieri crediderunt propter *humoris ſeroſi peculiarem* ad renes vergentiam.

Nos noſtram opinionem ex *Mechanicis* petitam *fundamentis* exponemus. Igitur præmittimus, quòd una eadémque in corpore noſtro & *ſudoris & urinæ* ſit materia remota, & tantùm ſegregatoriorum locorum diverſitate urina & ſudor diſtinguantur, unde eſt, quòd, qui per æſtatis decurſum habitu corporis rarèfacto & poris cutaneis valde reſerratis, multùm ſudant, *parum mingant*, econtra verò, qui hyeme denſata cute, poríſque ejus â frigore occluſis parùm ſudant, *multùm mingunt*, hinc quoque accidit, quòd quandoque *diaphoretica & ſudorifera* exhibita, *diuretica* evadant, quia liquatum & attenuatum ſerum propter clauſos cutis poros ad glandulas renum hinc *carunculas Papillares* & ex his in *pelvim & uretheres* deturbetur.

Itaque ſanguis per *arterias emulgentes* ac pulſum arteriis communem in *renes* continuo motu propellitur, íſque ſanguis in omnes renum partes protruſus neceſſario etiam ad *glandulas* renum propellitur, in quibus particulæ aquoſæ propter ſingularem glandularum ſtructuram, pororúmque conformationem utpote tenuiores ac fluidiores à craſſioribus & oleoſo ſulphureis tanquam per cribrum vi continui *pulſatorii motus* ſequeſtrantur, ac à glandulis per ductus ſuos excretorios ad *carunculas papillares* amandantur, ex quibus per certos porulos ac meatus in *pelvim* aquoſa hæc portio defluit, adjuvantibus ad hoc negotium plurimum vaſis lymphaticis, quæ lympha ſua affluente, particulas ſalino acidas diluunt, hinc fluidiores ac pororum renalium *ſtructuræ* magìs proportionatas reddunt, & ad hanc tranſcolationem ſeríque in corpore & ſanguine abundantis ſegregationem maximè faciunt. Reſiduus verò ſanguis à radicibus *venarum emulgentium* reabſorbetur & ad venam cavam deportatur: aliis mediantibus renibus *materiam ſeminis* præparari affirmare arriſit, ita ut renes *libidinis ſedes* ab ipſis crediti fuêre, propterea in gonorrhæa *lumbis* Medicamenta nonnulli applicant. Hanc fovit ſententiam vaſorum ſpermaticorum cum renibus aliqualis ſocietas. Quo-

Quoniam autem à renibus ejúsque vaſis nihil in ſeminis *officinas* immediatè derivatur, ideo non videntur renes peculiarem præparare materiam pro ſeminis generatione, nihilominùs renes *diſpoſitionem* non ſpernendam ſanguini pertranſeunti impertiri credibile eſt, quatenus ſalinæ aliæque Hæterogeneæ particulæ per renes cribrandæ ac excernendæ dum non excernuntur, ſed in maſſa ſanguinea remanent ſuâ præſentiâ & *acrimonia* ſeminis materiam taliter inficere poſſunt, ut *infæcundum* reddatur: contra verò ubi exacta glandularum in renibus ſtructura viget, ac ſanguinis maſſa ab hujuſcemodi *ſalibus exaltatis* & inquinamentis cum urina liberatur, tunc facilior *fermentatio* perpetuatur, unde tam variis cribrationibus ac particularum Homogenearum combinationibus & ſpirituoſarum exaltationibus ultimò tandem in *teſtibus ſemen ſpirituoſum album fragrans ac fæcundum* efficitur.

## §. 26.

### *De Capſulis atrabilariis.*

UTrique reni in eminentiori ipſorum regione, quâ venam cavam ſpectat, glandulæ adhærent, & iſthæc *renes ſuccenturiati* ab aliis verò *capſulæ atrabilariæ* vocantur, & hæc ſunt duo corpora glanduloſa in *fætu* renibus immediatè adhærentia in *adultis* verò ſeparata, ac inter venas emulgentes, & renes prope *venæ cavæ & Aortæ* truncos deſcendentes ſita, ac mediante adipoſa renum tunica, ita firmiter *diaphragmati* adhærent, ut ſæpe exemptis renibus à negligentioribus Anatomicis prætervideantur; ſed membranæ diaphragmatis nexu relinquantur, hinc repertu difficiles ſunt: numero tot ſunt, quot ſunt renes, cuilibet enim reni *una capſula* adhæret.

*Magnitudo* earum non ſemper æqualis eſt ut plurimum nempe dextra ſiniſtram ſuperat, aliquando tamen hæc illam, cavitatem habent intrinſecus inſtar *nucis vomicæ* magnam, in quâ humor aliquis *fæculentus niger* continetur.

*Subſtantiam* poſſident renum ſubſtantiæ non multùm abſimilem, ſed laxiorem coloris nunc rubicundi & adipoſi ſimilis.

*Figura* fermè renibus reſpondet, ſed inſtar paſtæ depreſſæ & ex quadrato oblongæ ſunt.

*Venas & arterias* ex emulgentibus derivatas habent interdum ex trunco Aortæ unum alterúmve ſurculum accipiunt: *Nervulos* admittunt exiles à vagi paris *ramo ſtomachico* ad propriam renum tunicam decurrentes, tenui quoque inveſtiuntur tunicâ, qua mediante ipſis *renibus & diaphragmati* annectuntur: *Uſus harum glandularum eſt*, ùt *lymphâ ſuâ ſalino ſpirituoſâ ſanguinem* ex renibus per venas emulgentes *refluum* ac in renibus *ſero ſalſo acidóque purgatum*, nec non ⊖ *volatili* orbatum (in urina enim magna tum ⊖lis fixi, tum volatilis continetur copia) *denuo* non tantùm *diluant*, ſicque eundem ſanguinem ad circulationem continuandam diſponant. Sed inſuper *novo quaſi fermento* memoratum à renibus refluum *ſanguinem* ejúsque *deperditam ſalſuginem*, una cum partibus ſubtilioribus ſuo *penetrantiſſimo liquore* ex parte compenſent, atque ſic impediant, quo minùs ſanguine in motu ſuo ſegniore reddito circulatio ejus ſubſiſtat, ſicque motus vitalis extinguatur. Adde, quod *liquor nigricans*, qui in interna harum glandularum cavitate ùt plurimùm reperitur, de ⊖ *Alkali volatili* neutiquam de *acido* participet.

## §. 27.

## *De Uretheribus.*

EX utroque rene propendent ductus *Uretheres*, quaſi urinæ ductores dicti, hi ſunt *Canales albi & teretes*, ex rerum ſubſtantia egreſſi, ac in *veſicam implantati* ſerum in renibus transſcolatum *excipientes* & in *veſicam deportantes.*

*Hi* Ductus oriuntur è renum ſinu interiori, cujus varii parvíque ductus & canales concurrentes, tandémque in unum coeuntes *uretherem* efformant.

*Numero* communiter *uretheres* bini ſunt, utrinque nempe unus, aliquando duo & plures in utroque inguine cernuntur ante inſertionem tamen in veſicam in unum coeuntes:

*Magni-*

*Magnitudine* oblonga ſunt vaſa, craſſa & *concava paleam* lata, at in calculoſis ſæpius *cavitas eorum* duos digitos admittere deprehenſa fuit.

*Figura teretia ſunt* oblonga inſtárque litteræ S incurvata: Membranam duplicem habent unam communem à Perithonæo & validam, alteram propriam ſubſtantiæ veſicæ interiori ſimilem, hinc nervoſam & craſſam, fibríſque, ut *diſtendi* queat, dotatam. Notatu dignum eſt, quòd *dilatatione ſemel factâ* non amplius hæc tunica *intra contrahatur.*

*Uſus uretherum* eſt, ut per eos tanquam per canales *urina* in renibus ſegregata in *veſicam deferatur*, item aliquando etiam arenulæ & calculi.

Ingreditur autem urina *tortuoſo ductu* in veſicam *retrò* & *paulo ante cervicem* ejus, ibíque uretheres inſeruntur, quorum implantationi duæ membranæ transverſæ valvularum adinſtar apponuntur, quæ urinæ facilem concedunt *ingreſſum in veſicam; regreſſum* verò in uretheres prohibent.

## §. 28.

### *De Veſica Urinaria & Uracho.*

IGitur de veſica juxta ordinem acturi dicimus, quòd veſica ſit pars *membranacea* intus *cava*, quæ urinam à renibus per uretheres apportatam *aſſervat*, & ſuo tempore, vel propter *pondus* vel *acrimoniam moleſtam* excernit, ſita eſt in parte *Hypogaſtrica* & regione *pubis* intra *geminas Perithonæi tunicas*, & quidem in cavitate illa pelvi dicta, quæ ab oſſibus, *ſacro nempe coxarum & pubis* efformatur in viris *recto inteſtino* incumbit, glanduliſque proſtatis jungitur, in mulieribus *uteri collo* adhæret, & in utriſque oſſibus pubis anterius firmiter alligatur, præterea conectitur etiam *umbilico* per Urachum.

*Figura* eſt oblongè globoſa & rotunda ſeu *Pyriformis* intus magnam habens cavitatem, ut capax ſit ad recipiendam, & ad longum tempus retinendam urinam, à fundo ſenſim coarctatur in *collum* anguſtum unde dividitur veſica in duas partes, in *fundum* nempe & *cervicem.*

Fundus *ſuperiorem* & *latiorem* veſicæ partem in ſe comprehendit, in quo ſurſum ad umbilicum porrigitur *urachus*, qui una cum propinquis Arteriis umbilicalibus in adultis in validum, *ligamentum* evadit, *decubitum fundi in cervicem* impediens, cervix ſeu collum inferior & anguſtior veſicæ pars eſt, & in *urethram* aperitur, per quam urina emittitur, in viris collum eſt tantiſper *longum* & *anguſtum* & non nihil *contortum*, quia penis corporibus carvernoſis ſubjectum ſurſum ſub *oſſibus pubis* ab ano ad penis exortum fertur, cui poſteriori parte glandulæ binæ *proſtatæ* dictæ apponuntur.

In fæminis *brevis & lata cervix eſt*, *recta deorſum protenſa* & uteri collo ſuperius implantata in utroque ſexu, cervix *carnoſa* eſt plurimis fibris contexta præſertim transverſis, quæ collum veſicæ conſtringunt, ne *nobis invitis* urina effluat, & muſculus hic orbicularis ab officio *Sphincter* dictus apponitur, qui ſi lædatur aut Paralyſi afficiatur *mictio involuntaria* oboritur.

*Subſtantia* veſicæ eſt partim *membranoſa* ob robur ad extenſionem & corrugationem, partim *carnoſa* ad motum efficiendum, triplici conſtat membranâ prima & extima *membranoſâ* à Perithonæo, mediâ *carnosâ*, & tertia intimâ *nerveâ* muco obductâ; media ab aliis dicitur *muſculus depreſſorius* totam veſicam ambiens, internè *copioſò muco* ideò obducitur, ne ex urinæ *acrimonia* lædatur, *tribus foraminibus* pervia eſt veſica, quarum duo minora paulo ante cervicem *uretherum ingreſſui* patent, de quibus ſupra dictum, *tertium* majus in *cervice* eſt, per quod urina emingitur.

*Arterias* in viris ab hypogaſt. recipit ad cervicis latera implantatas, in fæminis à vaſis uteri.

Venas arteriis comites habet, quæ ſanguinem reſumptum in venam Hypogaſtricam effundunt; Nervos à paris vagi, ramo & medullâ oſſis ſacri habet.

*Uſus* veſicæ *urinariæ eſt notiſſimus*, nimirum quòd *defluxum* à renibus *urinale lixivium* inſtar *matulæ* recipiat, & per multas horas aſſervet, ut homo interim negotiis ſuis ſomnóque incumbere poſſit, quod demum juſto tempore ſine dolore ac incommodo *pro libero hominis arbitrio foras* extra corpus expellatur.

§. 29.

## §. 29.

### *De Partibus genitalibus virorum.*

QUandoquidem materiæ occaſione natura hominem producere *immortalem* non potuit. Ideo ſummus rerum Opifex (ut fragilitati generis humani ſuccurreret) *commodum auxilium* machinatus eſt; quo illum non tantùm per aliquod annorum millia ſuſtineret, ſed ad æternitatem quaſi nova ſobole proveheret, in quem finem *organa generationi inſervientia*, quibus opus hoc neceſſarium perficeretur tam *affabre* extruxit, ut jure merito acclamare poſſimus hîc Deum optimum maximum, ſi alicubi magnum certè non ſolùm *providentiæ*, ſed & *inſcrutabilis ſuæ ſapientiæ* teſtimonium reliquiſſe, igitur communi nomine membra iſta *partes genitales ſive pudenda* ab Authoribus appellantur, ideo nempe, quoniam iis importuno tempore & loco detectis pudore afficiamur, partium itaque genitalium aliæ *maribus* aliæ *fœminis* à natura ſunt datæ, aſt de iis hoc capite tantùm agemus, quibus mares gaudent, Primo igitur loco occurrunt *vaſa præparantia* ita dicta, quod ſanguinem à veteribus pro ſeminis generatione aliquo modo *præparare* credebantur: ſunt autem hæc vaſa in utroque inguine in *proceſſu* Perithonæi *incluſa*, & ad teſticulos tendentia numero *bina*, una nempe *arteria* & una *vena*, vena in dextro latere ex trunco *venæ cavæ*, in ſiniſtro verò ex *emulgente* oritur, arteria verò utrinque ex *trunco Aortæ* deſcendente naſcitur, ab his initiis in utroque latere arteria & vena *præparans* paululùm progreſſæ mox ſimul ſociantur (quare hæc vaſa à figurâ *Pampiniformia* & *Pyramidalia* dicuntur) hinc per communem membranam à Perithonæo in homine recta per eundem proceſſum ſupra muſculum *Pſoas* atque uretheres utrinque in illius lateris proceſſu una cum muſculo *cremaſtere graciliq; vagi paris nervo* extra abdomen in ſcrotum deſcendunt, atque ibidem ulterius in quovis latere majore ramo in *teſtium* minore verò in *Epydidymidum* ſubſtantiam penetrant.

*Uſus* arteriarum præparantium eſt, *ſanguinem ad ſeminis confectionem* & etiam ad *teſtium nutritionem* deferre; venarum verò eſt, ſanguinem à ſeminis generatione & nutritione reſiduum in *dextra parte* à teſtibus ſurſum ad *venam cavam*, in

*ſiniſtra verò parte* ad venam *emulgentem* revehere, ne autem ſanguis per has venas aſcendens denuo ad teſtes delabatur, igitur memoratæ venæ *valvulis ſemilunaribus multis* duplicata ſerie diſpoſitis & *ſurſum ſpectantibus*, ſanguinisque relapſum impedientibus præditæ ac munitæ ſunt.

## §. 30.
### *De Teſticulis.*

TEſtes ſive teſticuli numero communiter *duo* ſunt, ut deficiente uno alter alterius defectum ſuppleat; ſunt autem teſtes *duo corpora ad radicem penis extra abdomen pendula & in ſcroto tanquam in ſuo involucro contenta:*

Figurâ ſunt ovales ſeu oblongi & rotundi, ſed una parte obtuſiores & ampliores, altera verò anguſtiores, *illa Caput* teſtis, *hæc* verò *fundus* dicitur; pars verò altera inter caput & fundum media ſuperius *dorſum*, inferius verò *ventrem* habet, involvuntur teſtes duabus tunicis *communibus* & tribus *propriis*, quarum prima communium etiam ſub *nomine Scroti* venit, quod conſtat cuticulâ & cute teneriore ac molliore in burſam expanſa, inque medio ſui *ſepto* proviſâ, quo mediante teſtes in dextrum, ſiniſtrúmque dividuntur, ſecunda communium interius ſcroto proximè adhærens, tunica *dardos* vocatur, quæ ex panniculo carnoſo naſcitur. Prima verò propriarum *Erythroides* dicta, quæ ad extra ſibi adnatum habet *muſculum cremaſterem ſive ſuſpenſorem*, quo mediante in utroque latere, teſtes quando opus eſt ad corpus adducuntur, & iterum demittuntur, inſuper etiam memorata tunica ob prædictum muſculum rubet, hinc etiam tunica *rubella* ab aliquibus vocatur: Propriarum ſecunda *tunica vaginalis*, ſive *Elytorides* appellatur, hæc in utroque latere ex Proceſſu Perithonæi orta, hinc adeo dilatata eſt, ut inſtar vaginæ teſticulum cum ſuis vaſis involvat, atque ſuſtineat, tenuis quidem eſt hæc tunica, ſed valida, inſignem enim acquirit robur à muſculo *cremaſtere*, cui valide etiam annectitur. Tertia propriarum quæ immediatè teſtes involvit, cingitque.

*Nervea*, & à colore albo *albuginea* vocatur, & hæc à fibrillis nervulorum per ſubſtantiam teſtium diſperſis ortum ducit.

Sub-

Subſtantia teſtium aliis *glandulosa*, aliis *medularis* & *pultacea* credita fuit; aſt Recentiorum diligentia detexit, teſtes nil niſi *minutiſſimorum vaſculorum congeriem eſſe*, ita ſi absque disruptione diſſoluta extenderentur, hæc vaſculorum mira congeries facile viginti ulnarum longitudinem excederet, apparent autem hæc vaſcula quàm maximé in teſticulis *glyrum* & *canis laſcivi* ſemine turgidis.

*Magnitudine & figura* teſtes in viro parvum ovum pulaſtræ aut majus columbinum referunt, licèt ſubinde in diverſis ſubjectis magnitudo varia ſit, ſed non tamen variant in figura; Gaudent teſtes præter Arterias, etiam copioſis vaſis lymphaticis, quæ intra tunicas teſtium orta una cum vaſis *deferentibus* ſurſum in abdomen aſcendunt, ſeſéque in Ciſternam chyli exonerant, *nervos* tandem habent ab octavo ſcilicet vago pari item à primo & ſecundo lumborum pari.

## §. 31.

### *De Officio Teſticulorum.*

USus igitur teſtium eſt *ſemen conficere*, in quo nobiſcum accuratiores naturæ indagatores ferme omnes conveniunt, at qua ratione id contingat, tam diverſimodè exponunt, ut quod ſentiendum ſit meritò, dubitare poſſunt omnes: Quare ut rei veritas clarius nobis innoteſcat, ſciendum primo eſt tantum duo vaſorum genera eſſe, quæ aliquid ad teſtes apportant ſcilicet *arterias & nervos*: ergo ex iis neceſſariò *ſeminalis materia* quærenda & invenienda eſt, cùm autem ex nervis tantam materiam ſeminis provenire nullis rationibus probari poſſit, igitur dicendum erit; ſemen *materialiter* generari ex *ſanguine arterioſo chylo turgido*, *formaliter* verò ex *ſpiritibus* tam *animalibus* per nervos, quàm *vitalibus* cum ipſo ſanguine arterioſo in hanc materiam concurrentibus, & ſic nobiſcum plerique ſentiunt Anatomici, aſt quomodo hoc fiat, non exſplicant: nos verò exiſtimamus *ſemen ex ſanguine arterioſo* taliter fieri & confici, quatenus vaſa ſanguinea cum congerie vaſculorum ſeminalium teſtes conſtituentium continuitatem habent, hinc ipſæ arteriæ, quæ hæc vaſcula ſeminaria in amplexu ſuo firmiſſimè detinent, ſubtilio-

liorem materiam chyloſam in horum vaſculorum cavitatem deponunt, craſſiore ſanguine tamquam inproportionato per venas redeunte, tunc ſubtiliori ſanguinis chyloſæ portioni ac generationi ſeminis idoneæ inque vaſculis ſeminariis depoſitæ, mox ſe ſe adjungunt communi Anatomicorum conſenſu *ſpiritus animales*, qui per nervos etiam in ſubſtantiam teſtium copioſi deponuntur; hi igitur ſpiritus animales una cum memoratâ & in vaſcula ſeminalia depoſitâ ſubtiliore ſanguinis arterioſi chyloſo ſpirituoſâ portione hinc tam proprio *ſpiritu vitali* quàm adventante *animali* imbutâ *ſemen perfectum* conſtituunt, quod dein per vaſculorum ſeminariorum ductus longos & mirificos ad *Epydidymides*; tum ad *vaſa deferentia* hinc *veſiculas ſeminales* & tandem in *uterum* per membrum virile ejaculatur, ab hinc dein ſpiritus ſeminales per ductus *auræ ſeminalis* ad *ovaria* usque excurrunt tanquam ad locum receptionis *auræ ſeminalis* à Deo optimo maximo ordinatum, interea temporis, quo ſeminalis materia per longiſſimos ac gyroſos teſtium vaſculorum ductus propellitur, & circummeat, in eorum anfractuoſis cavitatibus ita elaboratur, ut quæ in ipſorum teſtium ſubſtantia adhuc dum *aquea & cineritica* ſicque minùs perfectâ exiſtebat in Epydidymibus *lactea & craſſa* evadit, quæ ſeminalis materiæ elaboratio *noſtro judicio* contingit, quatenus partes aqueæ ab illa ſeparantur, ſpiritúsque ſemper plures eidem admiſcentur, qui materiam ſeminis per vaſcula ſua excurrentem magis *ſpumeſcere* facientes & ſic *fragrantiam* ei concilliant ſicque ultimam perfectionem largiuntur, quod *Hypocratem* ſimiliter intellexiſſe credimus, dum dicit *ſpumam & fragrantiam eſſe de eſſentia ſeminis:* unde patet vaſculorum ſeminariorum in teſtibus miros circumflexus itidem Epydidymidum & vaſorum deferentium longiſſimos ductus primariò à ſtudioſiſſima rerum natura ideò conformatos eſſe, ut ſeminalis materia diuturniori morâ magis adinvicem commiſceatur, ac in horum gyrorum tranſitu meliùs elaboretur, & quemadmodùm inteſtina plurimos æquè habent *gyros* primâ & principaliſſimâ ratione, ut chyli per vaſa Meſeraica diſtributio ſit quàm perfectiſſima, ita & vaſcula teſticulorum ſemen conficientia, tantis *gyris & circumflexibus ſunt* involuta, ùt ſemen magis meliúsque elaboretur, atque ut cum Ariſtotele loquar, *ſpumeſcat*, *fragrantiam ſpiret*, *colorémque album & conſiſtentiam majorem* contrahat. Secundarium verò naturæ intentum

eſt,

eſt, ut tardior *ſeminis ſit motus*, & nimia in *venerem propenſio* refrœnetur, quemadmodùm enim animalia, quæ inteſtina non circumgyrata habent, *voraciora* ſunt, ſic & ea animalia, quæ meatus rectos habent ſeminales *propenſiora in libidinem* ſunt, *caſtiora* verò, quibus vaſa ſunt *gyroſa*, & anfractior ſeminis via eſt.

Hinc optimum ſemen eſt, quod ſpiritu plenum, *unde ſeminis odor & fragrantia*, quodque exiguis plurimis bullulis *unde ſpumæ* & denique minimum ſeri comixtum habet, unde *ſeminis conſiſtentia* provenit; modò ſingulorum vaſorum in teſtibus hactenus repertorum uſum explicavimus, ſicque maximum generationis fundamentum ex ipſiſſimo naturæ fundo deſumptum, pro viribus noſtris exiguis deteximus.

## §. 32.

### *De Epydidymidibus ſive Paraſtatis.*

IGitur abſolutis iis, quæ de teſticulis dicenda erant, ad *Epydidymides*, in quas vaſcula teſtium ſeminaria ſeminalem materiam tranſmittunt, ſermonem dirigimus. Sunt autem *Epydidymides*, aliis *Paraſtatæ* dictæ, ſi foris conſpiciantur, *duæ quaſi oblongæ & utrinque Capitatæ glandulæ* teſtium dorſo incumbentes, illique immediatè membranulâ communi læviter cohærentes, ſed arctiùs teſtium extremitatibus connexæ. Si igitur nos aliquis interroget, quid ſint *Epydidymides?* Reſpondemus *corpora eſſe teſtium adinſtar etiam vaſculoſa variis & miris flexibus inter ſe contexta*, hoc verò probatur, & manifeſtè cernitur, ſi dextrè ſolvantur ligamenta ſive membranacea vincula, quibus iſta corpora admirabili non minùs quàm fermè inexplicabili ſerie & modò coarctata complicatáque colliguntur, ac ad invicem coercentur, cùm enim ſolutis membranulis corpora iſta inſtar funiculi diſſolvuntur, atque extenduntur, & ſi propiùs conſiderantur, tunc *vaſcula filamentoſa atque teretia eſſe* manifeſtè deprehenduntur, ſed obducta ſubſtantiâ quadam peculiari, qualis in toto corpore non reperitur, ſi verò aufferatur hoc operculum, quo corpora hæc undequaque cinguntur, teſtibúsque annectuntur, mox apparebunt anfractus quàm plurimi, qui inſtar *fili cujusdam implicati* in longitudinem trahi poſſunt.

In-

Interim benè obſervandum eſt, hos flexus plexúsque ſibi invicem ita connecti, ùt à craſſioribus Anatomicis facilè pro *uno ſimplicíque corpore* habeantur, poſtquam tamen dexteritate ſummâ ac patientiâ plexus corporum *Epydidymidum* jam diſſoluti ſint, tunc longitudo unius-cujusque Epydidymidis in mediocri animali corporis illius, (in quo ſunt) longitudinem *quinque ulnarum facilè* excedit; unde conſtat primò teſtes ab Epydidymibus non differre, niſi quòd illi ex *variis*, hæ verò maxima ſui parte *ex uno tantùm ductu*, ſed paulò craſſiori varióque inter ſe complicato conſtent: ſecundò Epydidymides à vaſe deferente etiam non differre, niſi quòd hoc *recto*, hæ verò quaſi *ſerpentino ductu* incedant. Hinc rectè dicit Hypocrates Lib. de oſſium natura textu 21. *Eunuchos non citari ad libidinem*, quia ademptus ſit illis tranſitus ſeminis:

*Uſum* Epydidymidum quod attinet, *eſt ſemen in teſtibus confectum magìs magísque perficere*, quapropter vaſcula illa Epydidymides conſtituentia tam admirabilibus flexibus & viarum longitudine à natura ſunt conſtructa, ùt nempe diuturniori ibidem morâ ſeminis *ſuperflua ſeroſitas* per vaſa lymphatica reaſorbeatur, ſicque *perfectum ac elaboratum ſemen* efficiatur, & in hoc conveniunt omnes, quodquod hactenus de *teſtibus* & *Epydidymidibus* Recentiores ſcripſerunt Authores.

## §. 33.

### *De Vaſis deferentibus Veſiculis ſeminalibus atque Glandulis proſtatis.*

SEmen itaque tam in teſtibus quàm in Epydidymidibus jam memorato modo confectum, ulterius decurrit in certa vaſa *ſemen deferentia* dicta, quæ à teſtibus ſenſim aſcendunt in cavitatem abdominis, & intrant per idem foramen, per quod vaſa præparantia exierant, hæc vaſa, quamquam re vera ſint *Arteriæ Paraſtatis continuæ*, ſubſtantiam tamen habent *craſſiorem & nervoſiorem*, *cavitatem* verò ſatis *obſcuram:* Regnerus de Graff tractatu de virorum organis generationi inſervientibus ſic inquit: *vas deferens manifeſta cavitate donatum eſt*, quæ ùt me-

meliùs conſpiciatur, aperiendum eſt hoc vas 6. vel 7. digitis transverſis ſupra teſticulum, & *immiſſus flatus*, vel *liquor coloratus* beneficio ſyringæ versùs teſticulum propellendus eſt, ubi videbitur vas illud *diſtendi* & colorem per mediam ejus cavitatem primo recto ductu teſticulum versùs recurrere & poſtea obſervabitur *liquorem* ſe in ipſo vaſe de latere in latus revolvere, & tandem cum ipſo vaſe ſenſim incurvari, ad eum ferme in modum, quo ſerpentes & anguillas ocyùs repere cernimus, atque ſic *revolutionibus in orbem & ad latus* factis usque ad corpora teſticulorum excurrere, ſic igitur *patet ejus cavitas* versùs teſtes, quomodò autem eadem vaſorum deferentium *cavitas versùs veſiculas ſeminarias* obſervari poſſit, illud loco citato pagina 28. idem deſcribit Auctor ſic inquiens: *ſi clarè & diſtinctè cognoſcere cupiatis*, intrudatis tubulum in vas deferens, quod ſi vel flatu vel liquore aliquo diſtendatur, obſervabitur citiùs *veſiculas ſeminales* diſtendi, quam quidquàm in urethram erumpere poſſit.

Porrò vaſorum deferentium *initium eſt* juxta Epydidymides inferiori ſede, hinc vaſis præparantibus per tenuem membranam annexa aſcendunt una cum his per *proceſſum Perithonæi* utrinque in abdomem, quo ubi pervenêre, reflectuntur deorſum *veſicam* versùs, hujus *poſticam partem* quàm primùm attigêre, inter hanc & inter inteſtinum rectum procedunt usque ad collum veſicæ, ubi ampliantur & dilatantur, poſtmodùm verò rurſum anguſtantur & tandem anguſto exitu in cellulas quasdam peculiares ab Anatomicis hodiernis *veſiculas ſeminales* dictas terminantur, quæ veſiculæ inter veſicam urinariam & inteſtinum rectum ſitæ ſunt, & collo veſicæ *poſticè* annectuntur, ſi foris ſpectantur uvæ racemo comparantur, ſi verò intus cernuntur, *granorum mali punici cellulas* eleganter æmulari videntur.

*Uſus* primò vaſorum deferentium eſt, *ſemen in teſtibus Epydidymidibus perfectè elaboratum ſurſum per proceſſus Perithonæi ad veſiculas ſeminales deportare.*

Veſicularum verò ſeminalium uſus eſt, *ſemen prolificum colligere & aſſervare usque ad debitum congreſſùs tempus*, memorata verò vaſa illa deferentia poſtquam efformavêre *veſiculas ſeminales* prope *glandulas proſtratas* duobus ſubtiliſſimis ductibus *carun-*

*culâ* munitis utrinque ex dextra & ſiniſtra parte in *urethram* terminantur, in quam ſemen denique effundunt.

*Inſuper* non procul à veſiculis ſeminalibus viſuntur *glandulæ proſtatæ* dictæ, quæ ſunt *corpora ſpongioſa anterius & poſterius depreſſa, à lateribus verò rotunda* nucis juglandis magnitudine membranâ denſa, fibroſâ & validâ involuta, veſicæ urinariæ ad radicem penis juncta parte unâ *veſiculis ſeminalibus*, parte verò altera *urethræ* continua ſunt, in quam quibusdam etiam ductibus minutis ;(intendidem *carunculis* valvularum inſtar obductis)patent.

*Gaudent* veſiculæ ſeminales & glandulæ proſtatæ venis & arteriis ab hypogaſtricis & Meſeraicis inferioribus ſcaturientibus. *Nervos* à plexibus nervorum in abdomine ſitis recipiunt.

*Uſus* glandularum proſtatarum eſt, *ut in illis lymphaticus & ſeroſus quidam humor* (prout in omnibus glandulis fit) *ſegregetur*, qui ipſo coitûs tempore in *urethram* per certos ductus excretorios infunditur, ibique cum ſemine mox commiſcetur, ut mediante iſto liquore ſubtiliſſima atque optimè elaborata ſeminis portio involvatur, & ſic fluxilior reddita per penem in uterum ejaculetur.

## §. 34.
### *De Pene & Urethrâ.*

MOdò ad organum, quod ſeminis jam confecti elaborati coacervati excretioniſque dicatum eſt, ſermonem noſtrum dirigimus, hoc communi nomine *membrum virile ſive penis* vocatur, eſt autem penis ſitus in infima ventris parte inferiori, & quidem in medio, ut commodiùs fieret congreſſus & aliis partibus impedimento non eſſet. Originem ducit à valido & robuſtiſſimo fundamento ſcilicet oſſibus pubis, quibus ſuis radicibus firmiſſimè implantatur.

*Figuram* habet penis *longam & teretem* non quidem mathematicè rotundam, quia in ſuperiori parte, quæ *dorſum* dicitur, latiuſculus eſt.

*Magnitudo* in ætate provectis ùt plurimùm *unius ſpithamæ* eſt, licèt quo ad craſſitiem & longitudinem ſubinde in aliis *major* in

in aliis *minor* exiſtat, ſunt, qui dicunt ex naſi forma penis magnitudinem cognoſci poſſe, aſt in diſſectione cadaverum contrarium ſæpe obſervatum fuit.

*Conſtat* penis aliquâ peculiari & propriâ ſubſtantiâ non *oſſeâ* ùt in *cane*, *lupo*, *vulpe*, *glyre & veſpertilione*, non etiam *cardilagineâ*, non itidem *carneâ*, ſed tali, quæ laxari & ad ſeminis ejaculationem debitè extendi poteſt, itaque adeo *peculiari & propriâ*, qualis in nulla alia corporis parte invenitur, inſuper partes penis conſtituentes, aliæ ſunt *continentes*, *ſeu externæ*, *aliæ contentæ ſeu internæ*, continentes ſunt *cuticula*, *cutis panniculus carnoſus*, absque tamen pinguedine, ne ſcilicet ejus erectio, vel voluptas titillationiſque ſenſus impediatur; internæ verò ſeu contentæ penis partes ſunt, *urethra*, *duo corpora nervoſa ſive cavernoſa*, *ſeptum*, *glans*, & 4. *muſculi & vaſa.*

Urethra eſt *canalis ſeu fiſtula urinaria*, hæc *media & inferior* penis pars eſt, duplici conſtans tunicâ, quarum externa carnoſa & ſpongioſa & pluribus transverſis fibris circumdata, hæc ad intenſionem ſeu erectionem penis etiam diſtenditur, ac turgeſcit propter celeriorem ſeminis ejaculationem, & poſtea rurſum una cum pene flacceſcit, unde mutuum cum duobus *corporibus cavernoſis* habet commercium: Interna urethræ tunica *membranacea* eſt, & cervici veſicæ continua, eandem quoque à principio usque ad finem obtinens amplitudinem calàmi ſcriptorii ad inſtar, exquiſitiſſimi etiam eſt ſenſûs quàm maximè verò in extremitate glandis, ubi non nunquam liquor acris per gonorrhæam ſubſiſtens, *exulcerationem* ſummè doloroſam efficit.

*Uſus* urethræ eſt, *urinam vel ſemen & calculos extra corpus emittere.*

## §. 35.

## *De Corporibus Cavernoſis, Balano & Muſculis Penis.*

AD latera urethræ poſita ſunt duo *corpora nervoſa ſive cavernoſa* dicta, quæ etiam adeo ſpecialem habent ſubſtantiam & ſtructuram, qualis planè non reperitur, ſunt nempe quaſi *duo folliculi* oblongi exterius undique craſſâ albâ ner-

voſáque membranâ muniti; aptè comparantur *cannæ* ſeu *arundini indicæ Germ.* Ein Spaniſch Rohr/ oriuntur ab inferiori oſſium pubis ſede diſtincto à ſe invicem principio, ita ùt in exortu ſuo quaſi cornua vel litteram Y efformare videantur, ùt urethræ inter utrumque locum medium concedant, ubi verò oſſa pubis derelinqunt ſingula corpora membranâ quâdam inveſtiuntur, & poſtmodùm interventu *ſepti medii* invicem conjunguntur, ita quidem ùt propè glandem ſeptum hoc intermedium evaneſcat, & duo iſta corpora nervoſa rurſum in *unum coaleſcant*, atque hinc fit, ut penis ſemper æqualiter erigatur; Interna horum duorum corporum nervoſorum ſubſtantia *ſpongioſa eſt*, & innumeris quaſi fibris mirabili figurâ hinc inde excurrentibus ac membranam continentibus componitur, hæc corpora *ſpongiæ inſtar* materiâ ſanguinis ſemper plenâ deprehenduntur.

*Uſus* horum corporum eſt *erectionem penis pro coitu verò ac legitimo* ùt *plurimùm producere, eámque productam ad debitum tempus usq; ſtabilire.*

Duobus ergo corporibus nervoſis & urethrâ jam deſcriptis in anteriori quaſi parte apponitur ſubſtantia quædam reliquis penis partibus carnoſior apparens, quæ apud Anatomicos *Balanus* à ſimilitudine verò *glans* appellatur; hæc pars ſolet ordinariè excedere magnitudinem corporum nervoſorum, quæ coronæ modo & quaſi circulo cingit, arteriori tamen parte aliquantulum *acutior eſt*, tegitur hæc pars extra veneris æſtrum, ùt plurimùm cute, quæ inter Anatomicos *præputium* nuncupatur, hæc intra duplicaturam admodùm *meabilis eſt*, hinc facilè revolvitur & reducitur, adhæret tamen pars præputii, quæ glandi adjacet ſummâ extremitate circa corporum nervoſorum finem, hoc eſt immediatè retro glandem, ita ut duplicaturâ ſuâ tantùm glandem tegat, cui glandi infima parte annectitur ope tenuſſimi vinculi, quod *frænum* nominari ſolet, glans ſive balanus immediatè cuticulâ *Epydermide* dictâ tegitur, ideóque exquiſito tactûs ſenſu præditus eſt, eum ſcilicet in finem, ut coitus majori voluptate peragetur.

Muſculi penis 4. numerantur, quorum duo collaterales & penis *erectores* plerumque vocantur: Originem ducunt à coxendicis oſſis appendice, alii duo muſculi *dilatantes* dicuntur; & hi

ab

ab ani ſphynctere prodeunt, & invicem internis lateribus juncti aliquo gradu ſub canalis parte exteriori excurrunt, & terminantur in membranam craſſam corporum nervoſorum.

*Uſus* horum muſculorum eſt, *& penem erigere & urethram dilatare ;* ad quod erectionis negotium nos corpora nervoſa etiam *ſummè concurrere* firmiter (ùt ſuperiùs dictum eſt) credimus.

*Vaſa* penis habet externa & interna; externa à *pudendis* venis & arteriis oriuntur, & ſupra penis dorſum excurrunt, interna ab *hypogaſtricis* oriuntur, & per internam corporum nervoſorum ſubſtantiam & urethram exſpatiantur.

*Nervos* obtinet penis inſignes & multos, ab oſſis ſacri medulla provenientes, quorum pars magna intima penis corpora & glandem penetrat.

## §. 36.

### *De Partibus genitalibus mulierum externis.*

QUemadmodùm mas & fœmina inter ſe differunt temperie, colore & mollitie, aliiſque in corpore apparentibus notis, ùt plurimùm tamen à ſe invicem diſcrepant, *ratione formæ, ſtructuræ, ſitúsque partium genitalium ;* Mas enim in alio generat, fæmina autem in *ſemetipſa*, igitur explicatis organis generationi inſervientibus maſculini ſexûs, ordo modò poſtulat (ùt *non luxuriæ ſed obligationis noſtræ cauſa*) etiam organa generationi in ſexu fæminino pariter inſervientia ſecundùm vera *RRtiorum* inventa pro viribus deſcribamus, ſunt autem partes mulierum genitales *aliæ externæ*, *aliæ internæ*, externæ dicuntur illæ, quæ citra *diſſectionem* aut diductionem conſpiciuntur, ſunt autem primò *labia vulvæ; monticulus veneris & fiſſura magna,* quibus adjungere poſſumus

*Pubem & Perinæum*, quæ omnia pudendorum nomine indigitari poſſunt, ideo quòd importuno tempore & loco hæ partes detectæ mulieribus pudorem ſummum afferre ſoleant.

Igitur primò *labia vulvæ, ſunt illa corpora*, quæ inter pubem & Perinæum & inguina prominula, ac pubem versùs craſſiora & ro-

rotundiora ſunt, ibidémque in extremitate coeuntia *Monticulum veneris* immediatè ſupra oſſa pubis ſitum conſtituunt, cujus monticuli externa ſubſtantia *cutis*, interna verò *copioſa pinguedo* eſt, cujus beneficio hæc pars monticuli inſtar attollitur; aſt poſteriora versùs magis magìsque attenuantur & incurvantur labia, ita ut propè Perinæum in *ligamentoſam cutim* deſinant, conſtant labia partim ex communibus totius corporis integumentis partim ex carne propriâ molli ac fungosâ duriuſculo adipe conteçta; inſeruntur labiis per totam ejus internam faciem *muſculi tenues & lati*, qui à Sphynçtere podicis oriuntur, & per labia vulvæ extenduntur; ideo ut, dum miçtione opus eſt, horum muſculorum adminiculo hæc labia diducantur, & rurſum conſtringantur.

In medio labiorum occurrit *rima ſeu fiſſura magna*, quæ inter labia, ab oſſium pubis inferiori parte ad anum usque fermè pertingit, ita ut inter *rimam* & *anum* ſpatium *perinæum* diçtum vix pollicis transverſi latitudinem excedat, hanc rimam in adultioribus *pili* è labiis & inguinibus enati obtegunt.

*Uſus* hujus rimæ eſt, *tanquam per canalem penem ad vaginam & ipſum uterum dirigere*, urinæ, menſtruis aliisque excrementis exitum præbere, & principaliter fætus excluſioni inſervire; & hæc de partibus mulierum genitalibus externis & citra harum partium *diduçtionem* conſpicuis diçta ſunto.

## §. 37.

### *De Partibus memoratis interioribus.*

D*Iduçtis labiis* mox in conſpeçtum ſe produnt partes internæ & primo quidem *alæ ſeu Nymphæ* diçtæ, hæ ſtatim intra labia ſitæ, iisque ſecundùm longitudinem appenſæ ſunt. *Subſtantiam* habent *rubicundam*, partim carnoſam, partim membranoſam, mollem & fungoſam tenui tunicâ inveſtitam in *craſſitie* & *magnitudine* pro ætatis diverſitate inæquales ſunt, in virginibus *tenuiores* nec multùm latæ ſunt, in adultioribus verò & multâ prole beatis *craſſiores & latiores* evadunt, nec tamen ultra labiorum dimidiam partem excedunt.

Fi-

Figura Nympharum naturalis nulli magis accedit, quàm *ovali figuræ* ſecundùm longitudinem per medium diviſæ; *Nymphæ* venas & arterias unà cum labiis habent communes, & etiam inſignes, ac per illarum interiorem ſubſtantiam diſperſas, hæc vaſa in gravidis ſæpe adeo tument, ut *varices* fermè æmulentur; oriuntur ab *Illiacæ ramo interiori pudendo* dicto, nervos accipiunt à 6to nervorum pari.

## §. 38.
## *De Clytoride.*

PAtefacto magis partium internarum ſinu in ſuperiori & anteriori pudendi muliebris parte inter Nymphas medio prominet teres & glandiforme corpuſculum à Græcis *Clytoris* dictum, quod è duobus corporibus nervoſis in unum coeuntibus fermè adinſtar *membri virilis* componitur. Oriuntur autem hæc corpora nervoſa ab oſſis Iſchii tuberculo interno diſtincto principio, dein coeunt in unum, ac illud breve, teres ac glandiforme corpus conſtituunt, quod propriè *Clytoris* dicitur.

*Hoc corpuſculum* ferme ejusdem conſtitutionis eſt, ac *penis virilis*, & etiam ſuo modo, dum neceſſe eſt, erigitur ac flacceſcit, differt tamen à membro virili, quod *nullam urethram* aut ſimilem canalem Clytoris habeat, neque *perforetur*, ſed cæco foramine virilem quaſi glandem mentiatur, item differt etiam *magnitudine* à virga virili cum Clytoris vix minimum adæquet digitum, ſed in ſtatu naturali exactè *uvulam ſeu columellam* repreſentet.

Obtegitur *Clytoris* aliquâ membranâ in fiſſura anguli acuti corrugatâ exiſtente, quæ cum inſtar præputii membri virilis revolubilis ſit, ideo ob illam ſimilitudinem etiam *præputium* vocatur, *magnitudo* hujus membranæ ſive præputii ordinariè tanta obſervatur, ut flacceſcentem Clytoridem omnino tegat: *Muſculos* clytoridi annexos eſſe itidem judicamus, & ſunt in ſpecie *duo muſculi*, qui ab oſſibus coxendicis oriuntur, & ſupra ejus crura excurrunt, iisque implantantur, qui ſua contractione corpus *clytoridis* unà cum glande ſuo *erigunt* atque *diſtendunt.*

Vaſa

Vaſa Clytoridis, quod attinet, ea ſunt *arteriæ*, *venæ* & *nervi*, arterias & venas recipit ab *arteriis & venis pudendis* dictis item à vaſis *hæmorrhoidalibus*, quæ ſanguinem cum ſpiritu vitali in libidine copiosè apportant, hunc verò ſanguinem reſiduum venæ itidem *pudendæ dictæ* revehunt, & tandem ad truncum cavæ hinc ad cor reducunt. *Nervos* à ſexta conjugatione habet, qui per clytoridis dorſum excurrentes admodùm magni ſunt, & ad omnes pudendarum partes diſſeminantur.

## §. 39.

## *De Urethra & Proſtatis Mulierum atque Hymene.*

ULteriori ingreſſu ſinûs muliebris meritò *meatus urinarius* nobis perſcrutandus venit, qui recto intinere à collo veſicæ in vaginam deſcendit, & ne erremus cum Idiotis Mulierculis, quæ in urinæ ſuppreſſione *catheterem in vaginam vulvæ* intrudunt, credentes ex illa parte mulieres urinam reddere, igitur digito circiter minimo transverſo *ſub clytoride* parte ſupernâ immediatè ſupra vaginæ orificium externum *inter Nymphas* foraminulum mediocris magnitudinis protuberat, quod *meatus urinarius* dicitur; quam protuberantiam ſtrictè loquendo malè *carunculam* aliqui Anatomicorum appellant, quâ mediante *urethræ* ſive meatûs urinarii orificium claudi volunt; hoc nobis veriſimile minimè videtur, cùm in fœminis haud magis quàm in viris in urethræ extremitate talis *caruncula* requiratur; ideo quia muſculus *ſphyncter* dictus ſufficienter collum veſicæ urinariæ conſtringit, ne præter voluntatem noſtram urina effluere queat. Secundò ab externis injuriis veſica ejúsque meatus urinarius, ut lædatur haud metuendum eſt, cum hæ partes à Nympharum productionibus ac labiorum tegumentis ſatis ſupérque ſatis defendantur, ac cuſtodiuntur. Iſte verò meatus urinarius ſive urethra in mulieribus duorum circiter digitorum transverſorum *longitudinem* obtinet, latitudo ordinariè *calamum ſcriptorium* in ſua cavitate capit, ſed lævi opera *ita dilatari* poteſt, ut digitum auricularem facillimè admittat, imò meatus iſte in calculo veſicæ mediante inſtrumento (*ſpeculum* dicto) ita dilatari poteſt, ut *calculi inſtar*

*ovi columbini* per eum extrahi poſſint, *duplicem* etiam iſte meatus urinarius *membranam* habet, unam interiùs & tenuem, alteram exterius & carnoſam.

In inferiori parte propè meatûs hujus exitum exſtant *rugæ*, quibus diductis *duo foramina* ſive utrinque unus *notabilis ductus* exiſtit, per quos materia quædam pituitoſo-ſeroſa ſemini virorum analoga ùt plurimùm *in congreſſu* erumpit, hi ductus ſurſum aſcendendo terminantur in aliquam ſubſtantiam membranoſam & albicantem & totum fermè *urethræ canalem* externè ambientem, ita ut non adeò malè ſubſtantia illa *mulierum proſtatæ* ſive *corpus glanduloſum* poſſint appellari.

*Uſus* harum *proſtatarum* eſt, ut *mediante liquore ſeroſo* per ductus excretorios apportato *jucunditate* aliquâ pudendæ mulierum partes irrigentur, lubricentur, ac humectentur, aſt liquore memorato participante aliquali ſalſedine, mulieres inde *ſalaciores* redduntur.

Subinde etiam fluor mulierum albus ſive *gonorrhæa* latè ſumpta *à proſtatis iſtis* provenire à Recentioribus putatur.

Ulterius progredienti *foramen parvum* occurrit, quod *orificium vaginæ* dicitur. Hîc plurimi Anathomicorum, præcipuè verò Clariſſimus Heiſterus, in Ephem. nat. cur. Cent. VII. pag. 379. Tab. VI. fig. 5. membranam illam decantatiſſimam *Hymen* dictam atque in ſui medio in virginibus propter menſtruorum effluxum tantiſper *perforatam* locatam eſſe volunt, per quam *illibatam infallibiliter virginitatem* probare contendunt.

Cùm verò in annoſioribus puellis præter rugoſam memorati orificii vaginæ coarctationem ab aliquibus Anatomicis nihil fermè inveniatur, igitur illam ſpecialem membranam, *Hymen* dictam aliqui in dubium vocant dicendo: ordinariè & in ſtatu naturali *in virginibus præter vaginæ ejusdemq; Orificii exterioris coarctationem plurimis mediantibus rugis factam nullum virginitatis dari ſignum ac munimentum;* dolorem autem & *cruentationem* in primo fœminarum coitu ideò plerumque ſupervenire credentes, quatenùs memoratæ rugæ in orificio vaginæ exiſtentes, quæ mediantibus fibrillis membranaceis coarctatæ ſunt, in *primo coitu* ob confricationem & intruſionem fortiorem penis majoris *dilatantur*, hinc

fibrillæ membranaceæ venulæque capillares inter haſce rugas latitantes *dilacerantur*, unde neceſſariò & dolor & *cruentatio* primo in coitu oboriri debet.

## §. 40.

### *De Partibus mulierum genitalibus internis & in ſpecie de vagina uteri.*

INter partes mulierum genitales internas principatum obtinent vagina uteri, orificium uteri internum, dein ipſe uterus, teſtes, ſive potiùs ovaria & tubæ fallopianæ, quibus vaſa præparantia arteriæ, venæ, vaſa lymphatica variáque ligamenta & nervi, tanquam partes ſecundariæ famulantur, quas omnes eodem ordine (quo *ab externis ad interna* hactenùs progreſſi ſumus) depingemus, incipiendo modò ab ipſa *uteri vagina*, quæ ab aliquibus etiam *cervix uteri*, ſed minùs propriè talis dicitur. *Nam* vera uteri *cervix* eſt illa uteri pars, quæ *oſtiolum illud anguſtum* in ſeſe reconditum habet, quod penis nunquam aut rariſſimè ingreditur.

Eſt autem *uteri vagina propriè canalis mollis, laxus & largus* à ſinu pudoris incipiens & ad uteri orificium internum deſinens, in quo *membrum virile* non aliter quàm gladius in ſua vagina excipitur.

*Sita* eſt *vagina uteri* in Hypogaſtrio ſub oſſibus pubis in anteriori parte veſicæ urinariæ, à poſteriori autem *inteſtino recto* firmiter annectitur, ita ut exulcerato inteſtino recto fæces per *ſinum pudoris* profluant, & vice verſâ.

*Subſtantiam* obtinet *nervoſam ac ſpongioſo-membranaceam*, qualis inteſtini recti eſſe ſolet, continetur duplici membranâ, quarum exterior ab utero, interior verò à pudendo aſcendit.

*Figurâ* oblongâ & adeò *affabrè* fabricata eſt, ut in coitu undique peni ſeſe accomodet, extra coitum verò latera vaginæ in ſe concidunt & vacui ac flaccidi inteſtini cujusdam figuram refert. *Longitudo* ejus ordinariè 7. 8. vel 9. transverſos digitos æquat, hinc ſatis accuratè cum membro virili erecto convenit.

*La-*

*Latitudo* fermè eadem ac inteſtini recti eſt, nihilominùs hæc etiam prout ejus longitudo variat, in coitu enim modò fit *longior* modò *brevior*, modò *conſtringitur*, modò *dilatatur*, prout majori vel minori libidine fœminæ agitantur.

*Rugoſa* cernitur vaginæ uteri *interna ſuperficies*, adeò ut *bovis palato* haud malè comparaveris, plures habet *plicas* in anteriori parte propè veſicam, econtra verò pauciores versùs inteſtinum rectum, cui incumbit (harum itaque beneficio adeò *contrahi*, ut modò pudendo uterus fermè incumbat, atque adeò *laxari* poteſt, ut vagina ſupra veſicam præſertim *in coitu* multùm elevetur) rugæ iſtæ in virginibus atque in mulieribus nondum matres factæ *crebriores* atque *denſiores* ſunt, in iis verò, quæ ſæpius pariunt, aut frequentiori congreſſu utuntur, ſenſim quaſi *obliterantur*, unde uteri vagina in illis mollior, in his verò durior imò in ſcortis ſubinde quaſi *cardilaginea* evadit: In ſæpè memorata uteri vagina per totum ejus ductum plurimi reperiuntur poruli *lacunæ* dicti & maximè circa meatûs urinarii inſertionem, per quos tam majores quàm minores materia *ſeroſo-pituitoſa* ad partes genitales in veneris oeſtro lubricandas humectandásque affluit, quæ tam copioſè in ſalacioribus fœminis ſubinde erumpit, ut etiam extra pudenda ſæpius profluat, & hæc eſt illa materia ab antiquis noſtris pro verò *mulierum ſemine* habita, quæ tamen neutiquam *ſemen prolificum* eſt, cùm ex naturæ inſtituto, ſi tale daretur *ſemen* in mulieribus, illud certè *in uterum* tamquam *locum* generationi deſtinatum, nullo modo verò extra *corpus fœmineum* effluere, & quaſi *excrementum* in terram projici deberet.

*Arterias & venas* habet uteri vagina in magna copia ab *Hypogaſtricis* & *hæmorrhoidalibus*, quæ per totam ejus ſubſtantiam ſparguntur, ſanguis enim, quo in coitu turget vagina *voluptatem* in utroque ſexu non parùm excitat, ſecundò impedit, ne ſemen in vaginam injectum in itinere ſuo versùs uterum ullo modo *refrigeretur*, *ſicq́ʒ infœcundum* reddatur.

*Uſus* vaginæ uteri eſt, *membrum virile erectum excipere*, *emiſſum ſemen in uterum dirigere*, profluenti menſtruo famulari, ac naſcituro partui ejúsque comitatui ſecundinis nempe debitum tranſitum præbere.

## §. 41.

### *De Orificio uteri interno.*

A *Vagina* uteri ſurſum digrediendo mox ad *cervicem uteri* propriè *talem* devenimus. *Eſt* autem *cervix uteri ea pars, quæ à fundo uteri ſenſim anguſtiore reddito in ſe orificium uteri internum*, ſive *os matricis* dictum continet; hoc orificium oblongum eſt, & rimam habet *transverſam*, atque ab Authoribus glandi penis aſſimilatur, videntur autem illi tantùm ad uſum, non verò ad ſubſtantiam & propriam ejus figuram reſpexiſſe, licèt enim, quando clauſum eſt prominulâ & obtuſâ ſuâ *rotunditate*, caput penis quodamodò referat, non tamen ex *carne*, ùt glans penis conſtat, ſed ex *fibris membranoſis* mirè inter ſe *corrugatis*, unde ſuam habet *conſtrictionem* & *exſpicabilitatem* pleniſſimam, quâ ita dilatari poteſt, ut fœtui maximo (viâ factâ,) exitum, & hunc ſubinde etiam ſine magno labore concedat permittàtque: econtra poſt ſuſceptum ſemen orificium hoc uteri internum *adeò arctè* clauditur, *&* *lento viſcoſo*, atque ſubflaveſcente humore tam exactè obſignatur, ut vel *apicem acûs* vix admittat, nec ante tempus partûs ullo modo, niſi fortè per *libidinem* admodùm *ferventem*, (ùt in ſuperfætatione contingere poteſt,) reſeratur.

## §. 42.

### *De Utero.*

JAm recto tramite ad *ipſum uterum* deducimur, qui immediatè cervici adhæret, & eſt locus quidem ſitu humilis, ſed altâ conſideratione & admiratione dignus, quemadmodùm acutiſſimi ingenii ſcriptores eum ſatis intelligere non poſſe ingenuè fatentur.

*Dicitur* itaque uterus apud Latinos *Matrix*, ideò quamdiu fætum in ſe continet *matris vices* in alendo & conſervando gerit, item mulieres *matres efficit*, ſi enim utero carerent, nunquam matres fieri poſſent.

Uterus numero tantùm unicus eſt, licèt aliquando præter naturæ ordinem bipartitus aut duplex inventus fuerit, ſitus eſt in

Hy-

*Hypogaſtrio* ſeu abdominis parte infima inter *veſicam* & *inteſtinum rectum*, tanquam inter duo pulvinaria & in robuſtâ cavitate *pelvi* dicta ex oſſibus illii coxendicis & oſſe ſacro efformatâ; rationem hujus ſitus reddit Galenus Lib. 14. de uſu partium Cap. 3.tio inquiens: ſive *conceptionem aut conformationem fœtûs ſpectes, ejúsque incrementum, tunc uterus in hac cavitate optimè ſitus eſt*, quandoquidem ſinè nullius partis læſione pro fœtûs incremento in maximam molem hîc diſtendi comodè poteſt; atque etiam egreſſuro fœtui exitus ad inferiora facilis datur; inſuperque ab omnibus externis injuriis fætus hîc protegitur, & conſervatur, ab anteriori namque parte ab *oſſibus pubis*, à poſteriori ab *oſſe ſacro*, & à lateribus ab *oſſibus Illion* tanquam tutiſſimis mœnibus circumdatur, quare natura in fæminis *coxarum* capacitatem *ampliorem* efformavit, quàm in viris, *unde & nates habent ampliores.*

*Figura* uteri varia, in adultis & non gravidis ordinariè *Pyriformis* eſt; Cùm inſtar Pyri uteri fundus rotundus ſit; & ſenſim cervicem versùs ſicut *vitrum urinale* æqualiter in ſua rotunditate anguſtatur.

In gravidis primis geſtationis menſibus *veſicæ urinariæ* non abſimilis eſt; pedetentim tamen magìs magìsque diſtenditur, & quidem ita ut poſtremis menſibus ad figuram *Sphæricam* proximè accedat, attamen cervix ſive collum (quod probè notandum eſt) uteri *dilatationem* non inſequitur, ſed priſtinum ſtatum fermè ſemper retinet.

*Ad uteri* quoque figuram ſpectare videtur ejus *cavitas*, quæ unica eáque exigua eſt, & vix *fabam* vulgarem ſuâ magnitudine capit, differt inſuper tota ejus ſubſtantia & magnitudo variè in uno eodemque individuo, in puellis enim uterus *perexiguus*, cutaneus, exſanguis & albus, veníſque quaſi deſtitutus digitíque majoris ſummum articulum, aut *fabæ majoris* magnitudinem non excedens, cùm verò maturæ viro ſunt, *Pyri* magnitudinem & formam refert; in mulieribus fæcundis *ovi anſerini* amplitudine conſpicitur, in ſterilibus eadem ac in virginibus magnitudo eſt, in vetulis *flaccidus & pallidus* cernitur, quo autem ſæpius conceperunt, eò *craſceſcit* magìs uterus; à partu ſtatim, dum cernitur magnitudine quaſi *capiti* æqualis eſt, valdéque *craſſus*, item va-

ſis plurimis ſanguine plenis reperitur. Hinc contra Galenum & Veſalium oculari experientiâ conſtat: uterum durante graviditate, licèt ad fœtus incrementum extendatur, non tamen *tenuiorem* fieri, ſed perpetuo ad fœtus incrementum usque ad partum *ampliorem & craſſiorem* reddi, quod admiratione & conſideratione digniſſimum eſt, eò quòd uterus, quò magis *dilatatur*, eò magis ſimul *incraſſatur* ejus ſubſtantia, econtra contrarium in *veſica* & *ventriculo* contingit; hinc poſtremis menſibus *ſuâ craſſitie* pollicem aut duos digitos transverſos æquat, cujus cauſa copia *ſucci nutricii* unà cum ſanguine arterioſo pro fœtûs nutritione affluentis, ac in uteri ſpongioſam ſubſtantiam ſe ſe inſinuantis candémque dilatantis *revera* exiſtit, quare poſt partum uteri ſubſtantia *mox decreſcit*, quia fibris per eam diſperſis ſeſéque rurſúm contrahentibus vulgò **die Nach-Wehen** cauſatur, dein avulſâ placentâ è vaſis ſanguiferis apertis primo ſanguinis, tum è vaſis lymphaticis ſeri, tandem ex ipsâ uteri ſubſtantiâ muci copia germanicè **die Schleich-Waſſer und Mutter-Schleim** / quibus per modum ſpongiæ uteri ſubſtantia graviditatis tempore imbuta erat, *exprimitur* ſicque lochiorum fluxus vulgò **die Reinigkeit der Kindl-betterin** / cauſatur ac producitur.

## §. 43.
### *De Uteri Subſtantia.*

SUbſtantia uteri in non gravidis *membranaceo-carnoſa nerveáque* eſſe conſpicitur, adeò ut *dilatari ac contrahi* pro neceſſitate queat; propterea dura & veluti ex pluribus membranis nerveis compacta eſt, foraminoſa ſimul & tubulis infinitis pervia, quod optimè cernitur, ubi ſuperfluo ſanguine vaſa implentur, & intumeſcunt: duabus membranis inveſtitur uterus, unâ communi & alterâ ſibi propria: *communis membrana* valida & craſſa eſt, externam ejus faciem undique tegens & à *Perithonæo* originem habet, *propria membrana* eſt illa, quâ interna uteri facies tegitur, atque originem ab ipſa uteri ſubſtantia ducit, & hæc fibroſa eſt.

*Vaſa uteri* ſunt, arteriæ, venæ, nervi, vaſa lymphatica, tubæ fallopianæ & ductus proprii, *Arteriæ* originem habent, partim

tim *à ſpermaticis*, partim ab *Hypogaſtricis*, has ad uteri fundum, illas ad ejus cervicem excurrere ſcribunt Authores, item arterias non *recto*, ſed *deflexuoſo* ductu per uterum excurrere putamus, ut tantò meliùs absque ruptionis periculo, tempore ingravidationis *diſtendi* & uteri mollem inſequi poſſint.

*Venæ* uteri partim *à vaſis præparantibus*, partim *ab Hypogaſtricis* venis utrinque procedunt, quarum rami etiam ut *arteriarum* per uteri fundum atque cervicem decurrunt. Hîc notandum eſt duplò vel triplò plures *arterias* & majores *venis* per uterum excurrere (procul dubio) ut major *ſucci nutricii copia* pro fœtûs nutritione ad uterum mediante *ſanguine arterioſo* deportari poſſit.

Plurima etiam ab utero oriuntur *vaſa lymphatica*, quæ externam ejus ſubſtantiam perreptando ſenſim coeunt, ut rivulorum adinſtar augeantur, donec ad magnum *chyli* lymphæque *receptaculum*, (ubi terminantur,) pervenerint, *nervos* uterus ſuſcipit duplicis generis nempe à propaginibus rami interni ſextæ conjugationis, & à nervulis oſſis ſacri.

## §. 44.

### *De Ligamentis Uteri.*

POrro ut uterus ſuo in loco firmiter & validè detineatur, propterea *ligamenta habet quatuor*, duo nempe *ſuperiora* & duo *inferiora;* ſuperiora *membranoſa mollia & lata* ſunt, ut utero diſtento cedere & contrahi, & rurſum facilè extendi poſſint, dum is ſarcinam depoſuit; oriuntur *à Perithonæo* & lateribus uteri, ſupernè non ſolùm alligantur, ſed inſuper præcipuâ ſui parte, *vaſa, teſticulos*, ſive *ovaria* & *tubas fallopianas* quodammodò *amplectuntur*, ac in ſe ipſis quaſi recondunt, *dilatantur* hæc ligamenta inſtar velorum magni navis, & ab aliqua ſimilitudine etiam *alæ veſpertilionum* appellantur, adnaſcuntur denique *oſſibus Illion*, & ſic uterum utrinque alligant, ut in nullum latus deflectere poſſit.

*Verùm ligamenta* inferiora *rotunda*, intùs nervea extus verò carnoſa ſunt, unde ab aliquibus *cremaſteres*, ſeu *muſculi ſuſpenſores*

*ſores*

*ſores* vocantur: oriuntur à fundi uteri lateribus, iis præſertim in locis, ubi *tubæ Fallopianæ* utero committuntur, & inter duplicaturam Perithonæi versùs *inguina* utrinque deſcendunt, & ſicuti vaſa ſpermatica in maribus, ita hæc ligamenta rotunda in mulieribus extra *abdominis cavitatem* excurrunt, hinc fæminæ eadem ratione ac viri *Herniis inguinalibus* ſunt obnoxiæ, quatenus ſcilicet *Perithonæum* eodem in loco, ubi ligamenta exeunt præter modum dilatari poteſt, poſtquàm verò abdomen reliquerunt obliquè ſuper os pubis in *pinguedinem* copiosè ibidem exiſtentem excurrunt, & propè *clytoridem* in multas partes diviſa terminantur & evaneſcunt.

Inſuper præter ligamenta deſcripta habet uterus *fibras quasdam tenues*, quibus connectitur, poſteriùs *oſſi ſacro* mediante inteſtino recto, cui uterus incumbit, anterius verò annectitur *veſicæ*, hinc proverbium illud: quare ſuperbit homo, cùm inter *ſtercus & urinam* naſcatur.

*Uſus* horum ligamentorum eſt, *uterum in ſua ſede præcipuè in poſtremis geſtationis menſibus* dum in magnam molem is excrevit, *firmiter continere, & ab utraque parte detinere*, quò minùs in hanc aut illam abdominis partem declinet, cùm autem uterus mediantibus fibris ac quatuor enarratis ligamentis partibus firmiter alligetur. Interroget aliquis, quomodò uterus in Hyſtericis & Hypocondriacis affectibus, *ad fauces*, ùt apud plurimos in confeſſo eſt, aſcendere poſſit?

Reſpondemus *illud impoſſibile eſſe*, nam uterus in cadaveribus, ubi aliàs omnia ligamenta magis laxa ſunt, duabus manibus apprehenſus licèt maximâ vi, nequaquam tamen ſupra *os ſacrum* efferri & protrahi poteſt, cùm præter ligamenta etiam *veſicæ urinariæ*, *inteſtino recto* & mediante vaginâ *pudendi partibus externis* validiſſimè adnatus ſit, *globi autem* fauces aſcendere viſi partim *ex flatibus hyſterico hypocondriacis* aſcendentibus, potiſſimùm verò ex *ſpaſmodicâ* nervorum recurrentium octavi paris circa caput laryngis & Pharyngis *contractione* producuntur.

§. 45.

## § 45.

### *De Vaſis præparantibus Mulierum.*

VAſa præparantia in mulieribus etiam *quatuor* ſunt, nempe *duæ arteriæ* & *duæ venæ*, prout in virorum organis generationi inſervientibus deſcripſimus, præcipuè tamen arteriarum differentiæ obſervantur, primò quòd arteriæ ſpermaticæ in mulieribus *non recto* ùt in viris ductu ad teſtes ſeu ovaria properent, ſed *variè contorqueantur*, modò rurſùs de latere in latus flexæ *ſerpentino ductu ovariis* appropinquent. Secundò quòd arteriæ præparantes mulierum nunquam tam *longè ſicut virorum* deprehendantur, quia virorum teſtes extra abdominis cavitatem propendent, mulierum verò *ovaria ſive teſtes in abdominis cavo propè uterum* exiſtant, tertiò differunt quoad *divaricationem* & *inſertionem*, divaricantur enim vaſa ſpermatica arterioſa in mulieribus tardiùs quàm in viris, ita etiam circa inſertionem non exigua diverſitas reperitur, nam in viris ordinariè in *duos ramos* finduntur, quorum unus & quidem primarius ad *teſticulum*, minor verò ad *Epydidymides* excurrit: in mulieribus autem primus diviſionis ramus *ad uterum*, alterum verò *ad ovarium* progreditur, qui ordinariè in fæminis propè ovaria rurſum in duos vel tres ramos ſubdividitur, ſicque unius ſubdiviſionis ramificatione *ovaria*, alterius verò *tubæ Fallopianæ* gaudent.

*Venarum itidem præparantium* in mulieribus talis fermè conſtitutio eſt, ùt in viris, præterquàm quòd multò *breviores ſint*, & quòd non tantùm ad teſtes ſed ad tubas & ad ipſum denique uterum excurrant, vaſa jam deſcripta in *prægnantibus ac puerperis* ampliora ſunt, quàm in vacuis, ita ut deſiderata ac neceſſaria ſucci nutricii copia mediante ſanguine arterioſo copiosè apportetur.

*Uſus* horum vaſorum eſt in fæminis *non ad ſeminis generationem ſed ad ovorum prolificationem*, ad partium *fœtûs nutritionem* ac menſtruorum expurgationem facere, ſanguis enim arterioſus in omnium partium poros, ad quos ramificationes pertingunt particulas chyloſas & nutritias deponit, reliquo verò ſanguine chylo orbato per venas ad cor redeunte.

## §. 46.

### *De Teſtibus mulierum.*

TAndem ad *teſtes muliebres* quod attinet, hîc certè quoad ſitum figuram, magnitudinem, ſubſtantiam, integumenta & denique maximè *quod ad uſum* à virilibus plurimùm differunt; Primo enim ſitum obtinent non *extrà* ùt in viris, ſed in *intima* abdominis cavitate, utrinque duobus digitis transverſis ab uteri fundo diſtantes, cujus lateribus annectuntur valido quodam ligamento ab Antiquis Anatomicis *vas deferens* appellato, eò quòd *ſemen per illud à teſtibus ad uterum transferri crediderint*, ab altera parte mediante membranâ circa oſſis illion regionem Perithonæo firmiter annectuntur, ita ut ex utraque parte quaſi ſuſpenſi & affixi ſint teſtes muliebres: uterum aliquantulùm inſequuntur, propterea ut tantò meliùs atque feliciùs id, ad quod nati ſunt, perficere poſſint.

*Quoad Figuram* mulierum teſtes tam anticâ quàm poſticâ ſui parte lati atque depreſſi ſunt, ſicque à virilibus multùm diſcrepantes, in inferiori namque parte *gibbum ſemiovalem* obtinent, in ſuperiori verò magis *plani quàm gibboſi* evadunt, itaque teſtes mulierum à ſuis vaſis & ligamentis ſeparati, figuram *ſemiovalem depreſſam* exhibent, ſupervicies eorum magis *inæqualis* quàm in maribus exiſtit, quia propter contenta in illis *ovula* aliquid inæquale protuberat, item in aliquibus locis propter deciſa ovula *aliquæ ſciſſuræ ſive cicatrices* conſpiciuntur.

*Magnitudo* eorum pro ratione ætatis non parùm variat, in pubeſcentibus *dimidiam* virilis teſticuli magnitudinem obtinent, licèt reſpectivè proportionis latiores & *ſucci pleniores* exiſtant, in provectioribus *majores & duriores*, aſt in ſenibus & maximè decrepitis *emarceſcunt*, in infantibus verò & recèns natis vix *grana 5.* ponderant; integumento unico, ſive una tantùm membrana inveſtiuntur teſtes muliebres à Galeno *dardos* vocata, quæ à teſtium ſubſtantia difficulter divellitur.

*Oritur* à Perithonæo hæc membrana atque una cum vaſis ſanguiferis ad teſtes properantibus illos involvit, & hæc *communis de mulierum teſtium involucris opinio eſt.*

§. 47.

## §. 47.

### *De Subſtantia Teſtium Mulierum.*

ABlato teſtium muliebrium involucro *ſubalbida eorum ſubſtantia* nobis contemplanda venit, quæ toto cœlo à virilium teſticulorum ſubſtantia differt; hi enim *vaſculoſæ* ſunt ſubſtantiæ, & ex *vaſculis ſeminariis* conſtructæ, quæ artificiosè diſſoluta *triginta ulnarum longitudinem* exedunt; fæmellarum verò teſticuli neutiquam ex *ſimilibus vaſculis* conflantur, ſic nemo unquam etiam adhibitâ quacumque diligentiâ illos *diſſolvere* poterit: Revera igitur interna teſtium muliebrium ſubſtantia componitur ex *multis fibrillis membranæ intertextis, ac laxè ſibi invicem unitis*, in quorum intercapedine plurima *rotunda* reperiuntur *corpuſcula*, quæ ſunt *veſiculæ liquore lympido plenæ*, etiam præter has nervuli & vaſa præparantia obſervantur, quæ non ſolùm totam teſtium ſubſtantiam perreptant, ſed ipſas quoque *veſiculas* ſubeunt, in quarum tunicis tandem minutiſſimi diſperſi vaſorum ramuli evaneſcunt, & hoc haud aliter ac in *avium vitellis ovarii racemo adhuc annexis* contingere videmus; inveniuntur etiam ſubinde ſed præter naturam in mulierum teſtibus morboſis *Hydatides*, *lapilli*, *Steotemata* & alia ſimilia.

Itaque ex jam enarratis unusquisque facilè colliget propter has *veſiculas* tota muliebrium teſtium ſubſtantia adeò mirificè fabricata & conſtructa eſſe. Nos igitur has *veſiculas* cum RR. Anatomicis & præcipue *DD. von Horne ovula*, teſtes verò mulierum *ovaria* nuncupabimus propter accuratam ſimilitudinem, quam cum ovis in *avium ovariis* contentis obtinent, nam illa etiam in *fæmineis ovulis liquorem inſtar albuminis ovi* continent, qui jucundo ſpectaculo conſpicitur, dum ovula iſta coquuntur, tunc liquor contentus *conſiſtentiam albam* ac gratum ſaporem albumini ovorum cocto ſimilem acquirit.

Nihil refert, nec opinioni noſtræ contrariatur, quòd fæminarum ovula non *duriori cortice* ùt avium & pullorum ova, ſed tantùm ſimplici tunicâ involvantur, ratio eſt, quia ex avium & gallinarum corporibus hæc ova *excluduntur*, & *dein cubantur* à gallinis & avibus, ovula humana verò in *corpore fæmineo* ſcili-

cet in utero manent, atque ab utero tanquam teſtâ ab omnibus externis injuriis quàm accuratiſſimè muniuntur.

Inſuper *ovula* in omni animalium genere reperiri confidenter aſſerimus, quandoquidem ea non tantùm in *avibus*, *piſcibus*, *oviparis*, ſed in *vivi-paris* quadrupedibus animalibus, imò in ipſa muliere evidentiſſimè conſpiciantur, aſt *ovula iſthæc* pro animalium genere multùm inter ſe differunt, nam in cuniculis & leporibus vix *rapæ ſeminium* magnitudine excedunt, in porcis verò & ovibus ad *piſi magnitudinem* accedunt, in vaccis *ceraſi amplitudinem* quandoquidem ſupperant.

Differunt etiam pro ratione ætatis ideò in junioribus *minora*, atque *immatura* in prævectioribus *majora* & *matura liquore* turgent, præterea adeò copioſa ſunt, ut in uno ſubinde *ovario* ſive *teſticulo muliebri viginti & plura* lympidiſſimo liquore turgida numerentur ovula.

Dicunt adverſarii veſiculas iſtas non ovula, ſed *hydatides* eſſe: Reſpondemus nos non inficias ire, inveniri ſubinde præter naturaliter genus quoddam veſiculorum in ovariis; quas *hydatides* eſſe lubenter concedimus, differunt autem *hydatides* à veris *ovulis*. Primò quòd non adeò *lympido humore* repletæ ac turgidæ conſpiciantur, ſicut *vera ovula*: ſecundò quòd *filamenta arteriolarum & venularum in hydatidum tunicis* nullatenùs conſpicuæ obſerventur, prout in *ovulis*; quemadmodùm ratio *nutritionis* in hydatibus nulla eſt, econtra verò in *ovulis*: tertiò quòd duplici tunicâ *hydatides* ordinariè conſtent, quæ facili negotio ab invicem ſeparari poſſunt, & liquor in eis contentus coctione tardè indureſcat, econtra verò *ovulorum tunicæ* ab invicem difficulter ſeparantur, & in his contentus lympidiſſimus liquor *coctione* illicò & ſtatim indureſcit.

Inſtant inveniri etiam *glandulas in ovariis*, quæ pro *ovulis* accipiantur; Nego ſequelam, ad primum autem dico, quòd in glandulis non inveniatur liquor *talis lympidus* in glandularum *cavitate* contentus; cùm glandulæ ſpongioſæ ſint naturæ & *pelvi* ſive cavitate propriâ careant, ſecundò glandulæ ſunt *cor-*

*pora*

*pora dura*, *compacta* & nullatenùs *diaphona*, & in duas *partes corporeas* facilè dividi poſſunt. Secus autem ovula, quæ cavitate magnâ pollent, ac humorem lympidiſſimum in ſua *pelvi* continent, inque duas *corporeas partes* dividi nequeunt, ſed apertis ſtatim effluit *liquor*, hinc tunicæ *concidunt*, nihilque præter membarnas remanet.

Porro *ovula* in ovariis generantur, atque perficiuntur eodem modo, quatenùs ſcilicet ſanguis per arterias præparantes ad *ovaria* affluens in membranoſa illorum ſubſtantia materiam *ovulis generandis & nutriendis* diſpoſitam atque idoneam deponit, reliquo ſanguine & humoribus partim per *venas præparantes*, partim per vaſa lymphatica redeunte, igitur *ovariorum* ſive *teſtium muliebrium* uſus eſt, *ovula ſuo modo generare*, *fovere*, *& ad maturitatem promovere*, matura autem usque ad debitum fæcundationis tempus aſſervare, eáque tum in coitu *ſpiritu genitali* maris fæcundata in *tubas fallopianas* protrudere, & ſic ad *uterum amandare*, ut ibidem contenta in ovulo fætûs *ſtamina ac delineamenta* undequaque diducantur, & extendantur, ſicque debita organizatio ac Embryonis conformatio perficiatur.

## §. 48.

### *De Fæcundatione ovulorum.*

QUomodò autem *ovula à ſemine virili* fæcundentur, & per *quas vias* ab ovariis ad ipſum uterum traducantur, præſtat dilucidare: itaque oculis clarè cernitur, quòd ab uteri fundo ex utroque latere progrediantur *duo canales teretes & rotundi* atque ſuo modo *pervii* ab utero inquam enati, qui verſùs ovaria progrediuntur, & *ductus auræ ſeminalis rectè nuncupari* poſſunt, per quas ſeminis virilis in uterum ejaculati pars ſubtilior nempe *ſpiritus ſeu aura ſeminis* ab utero ad ovaria avolat, ibidémque unum vel alterum ovulum diſpoſitum in ovariis contentum penetrat, hinc ipſum in ovulo contentum ac quieſcentem ſpiritum vitalem reſuſcitat, ſicque ovulum fœcundat, & à potentia in actum deducit. Inſuper dantur alii duo canales longi & rotundi *tubæ fallopianæ* dicti, quorum ſubſtantia membranoſo

nerveoſa atque carnoſa, & ideò ut faciliùs, dum neceſſe eſt, *dilatari*, item *extendi aut contrahi* poſſit, duabus etiam conſtant membranis, unâ ſcilicet internâ & *rugoſa*, quæ ab interna uteri membrana producitur, altera externâ, quæ ab externa uteri membrana oritur, *Cavitas* harum tubarum ac conſtitutio earum varia eſt, ubi enim exoriuntur, nempe ad latera uteri ibidem cavitatem *tam exiguam* habent, ut ſtylum majorem non admittant, in progreſſu verò ita dilatantur, ut *ſemidigitum* recipiant, in fine propè teſticulos rurſum coarctantur, ut clauſæ eſſe videantur, revera tamen *extremitas* iſta versùs *ovaria* tendens *clauſa non eſt*, ſed *fimbriis ſeu papillis nerveis*, quibus extremitates tubarum conſtant concidentibus, taliter aparet, quod tubis in aquam calidam poſitis Mycroſcopii beneficio cerni poteſt. Notatu dignum eſt, quòd extremitas ſeu infundibulum tubarum Fallopiarum *non hiet* in ovaria, ſed ab illis tantillò diſtet, in coitu autem fœcundo per titillationem veneream *papillæ nerveæ* ſeu infundibili *fimbriæ* inſtar membri virilis aut *proboſcidum cochlearum* ſeſe erigendo & expandendo ita extenduntur, ut *ovarium* ſuis papillis ſic diductis & extenſis 5. quaſi digitis apprehendant, ſicque *ovulum* ſpiritu genitali maris *fœcundatum* per modum infundibuli memoratâ *extremitate* ſuâ ſuſcipiant, ſuſceptúmque per canalem ſive cavitatem tubarum ad *uteri cavitatem* usque traducant, ubi *ovulum* hoc fecundùm in omnes dimenſiones extenditur, ſicque in utero ſucceſſivè integra *organizatio* ac fætûs conformatio perficitur.

*Longitudinem* habent *tubæ Fallopianæ* ab utero ad ovaria capreolari & tortuoſo ductu excurrentes, non ſemper eandem, conſpiciuntur verò 4. 5. 6. 7. 8. vel 9. aliquando digitos transverſos æquare.

## §. 49.

### *De Officio uteri partiúmque adjacentium.*

Quare his omnibus præmiſſis & ritè conſideratis dicimus *primò*, *ductuum auræ ſeminalis uſum eſſe*, quòd in coitu fœcundo *ſubtiliori maſculini ſeminis portioni ſpiritui* nempe *maris genitali ad ovaria properanti tranſitum concedant*, ut ſic

per

per ſpiritum maris ovulum unum vel alterutrum jam quidem antea ad *fœcundationem in ovario aptum & diſpoſitum* fœcundetur, nempe quòd *ſpiritus vitalis* in ovulo quaſi in ſomno latitans *appulſione conjunctionéque ſpiritûs maris ſeminalis reſuſcitetur;* Secundò ut tale ovulum ea ratione fœcundatum & in ovario inclusum ab extremitate ſeu *infundibulo Tubæ Fallopianæ papillis ſeu fimbriis* ejusdem extremitatis explicatis ac diductis extenſisque versùs partem ovarii tumente excipiatur, túmque per tubarum cavitatem in uteri pelvim traducatur.

Uteri officium eſt *ovum fœcundum à tubis Fallopianis receptum fovere;* ſtamina ac fœtûs delineamenta in ovulo jam contenta ſecundùm omnes dimenſiones diducere & amplificare, *ſicq; organizationem perfectam ac fœtûs conformationem perficere.* Secundò fœtum ad maturitatis tempus usque in ſe continere, eundem ab omnibus injuriis defendere, item alimentum in ſui ſubſtantiam depoſitum per vaſa umbilicalia fœtui largiri, tandémque *fœtum maturum & perfectum debito tempore conſtrictione ſui fundi & dilatatione orificii uteri interni in lucem edere, & ſic partum humanum efficere.*

## §. 50.

### *De Secundinis.*

CArondinis locò hunc Librum claudent *partes fœtûs & prægnantium propriæ*, quæ conſiſtunt in membranis fœtum involventibus in vaſis umbilicalibus & placentâ uterinâ uno nomine à Medicis *ſecundinæ vocatæ*, eò quòd poſt fœtum ſecundo quaſi partu excludantur.

*Membranæ* igitur fœtum à primordio ejus ad tempus uſque continuò involventes duæ ſunt, *Chorion & Amnion* vocatæ, quæ ſicut dura & pia Mater cerebrum continet, & inveſtit, ſic illæ membranæ fœtum circumcingunt; ſunt, qui tertiam adjungunt *Allantoidem* dictam; aſt hæc licèt in byſulcis & quadrupedibus, non verò in *humanis Embryonibus* invenitur, utraque hæc membrana tenuis, aſt Amnio Chorion tenuior.

Eſt

Eſt igitur Amnion *membrana interior*, *tenuis*, *alba*, *mollis*, *translucens*, *totum fœtum undiquaque & proximè inveſtiens*, continetur tamen inter fœtum & hanc membranam *liquor lympidus* tantiſper *gelatinoſus* inſtar juſculi carnis, *cui fœtus toto geſtationis tempore innatat*, hunc liquorem & ſapor & odor alimentitium magis quàm excrementitium eſſe probant: cùm verò hæc membrana fœtum proximè circumdet, facilè accidit, ut mediante liquore gelatinoſo nutritio, vel capiti, vel manui, vel parti alicui agglutinetur, ſicque in partu parti illi adhærendo abrumpatur, & una cum infante pars agglutinata prodeat, hinc ab anatomicis; ſi quaſi velamen membranula iſthæc caput cingat. *Galea* in infante maſculo, in fœmella verò *vitta* vocatur, ſi manui adhæreat *Chyrothecâ*, ſi corpori toti *induſium appellatur*: Aſt nullum partum feliciorem multò minùs *prodigioſum* denotat, quum fortuitò tantùm contingat, quod ex antedictis colligitur.

*Chorion* eſt membrana fœtum involvens *exterior*, *craſſa ſubalbida*, multis arteriolarum & venarum ramulis inſignita, quæ, licèt unica eſſe videatur, tamen in duas vel tres lamellas dividi poteſt, ſunt, qui etiam inter *chorion & amnion* liquorem exiſtere contendunt, ſed RR. plerumque negant, interea magna inter authores exorta eſt controverſia de harum membranarum primordiis. Nos ovula admittentes audacter aſſerimus, has membranas nihil aliud *præter ovuli* jam in ovario contenti *proprias easdémque tunicas* eſſe: Recordemur enim dictorum, è quibus patet: ſpiritum ſeminalem ad ovulum impingentem illius tunicas nuſquam diffringere (aliàs diffluerent unacum *colliquamento* fœtûs in ovulo contenta ſtamina & delineationes) ſed *porulos* tunicarum ovuli tantummodò permeare, & ſeſe in ovuli meditullium condere, ſicque ſpiritum vitalem uſque huc quieſcentem reſuſcitare, quum verò illæ ovuli tunicæ non crepuerint, ſed & inſuper *ductiles* & *extendibiles* exiſtant (nam nutriuntur ab intrinſeco cum fœtu, quamdiu utero incluſæ ſunt) conſequens eſt, ut ad rarefactionem & extenſionem fœtûs ſeſe accommodent, nec uſpiam ante ſtatutum tempus rumpantur, ſed ſe diducant, atque expandant, pro rata ſcilicet portione ad Embryonis in dies accreſcentis incrementa.

*Uſus* harum membranarum eſt primarius: *Embryonem in utero & humores, quibus innatat fœtus, & etiam ſuo modo nutritur, usque ad determinatum partûs tempus continere*, vaſa à placenta ad fœtum tendentia & vice verſa fulcire; ſecundò, ut ruptis illis inſtante partu humores contenti per vaginam uteri effluant, quibus mediantibus os uteri internum & reliquæ pudendarum partes humectentur, atque lubricentur, ſicque fœtus faciliùs in lucem producatur.

## §. 51.

### *De Funiculo umbilicali.*

AB umbilico fœtûs procedit *funiculus inſignis*, qui obliquè ſurſum aſcendens ad ſiniſtra cervicis, & hinc circumflectendo ad occiput versùs frontem, abhinc paulatim in placentam terminatur; Hujus ope *fœtus utero* alligatur; Conſtat is quatuor vaſculis involucro incluſis, nempe *duabus arteriis unâ venâ & Uracho*, qui eſt canalis, per quem urina è veſiculâ fœtûs tempore geſtationis ſecundùm antiquos in tertiam quamdam membranam *Alantoidem* dictam deportatur; Recentiores verò membranam *Alantoidem & perforationem* Urachi in fœtu humano negant.

Quare qui præter binas membranas *Chorion* nempe & *Amnion*, tertiam *Alantoidem* ſeu *farciminalem* obtrudunt; aut urinam inter duas priùs memoratas retineri aſſerunt, *brutorum* magis quàm *humanorum Embryonum* exploratores fuiſſe exiſtimamus.

Igitur uſus *Urachi* rejectâ in humano Embryone membranâ Alantoide, eſt unicè *veſicam Perithonæo annectere*, ac illam tanquam ſuſpenſorium ligamentum, ne fundus veſicæ ſubſidere poſſit, validè ſuſtinere.

*Porrò* à fœtu versùs Placentam duæ excurrunt arteriæ, *umbilicales* vocatæ; hæ ex ramis *arteriarum Illiacarum* internis, circa principium divaricationis oriuntur; atque tunc ſurſum ad veſicæ latera porrectæ unacum *vena umbilicali* (quæ arteriis amplior exiſtit, & ab Hepate fœtûs egreditur) funiculum umbilicalem ingrediuntur, & quamprimùm tribus vel quatuor digitis

tranſverſis ab umbilico hæc vaſa digreſſa ſunt, non aliter ac funis aliquis apparent; unde à medicis hæc vaſa ſuo involucro contenta & ad placentam properantia, *funiculus umbilicalis* vocantur; qui variis nodis diſtinctus cernitur, quod à ſanguinis venoſi circa valvulas retardato motu provenire nobis videtur.

Ergo primò ſanguis per fœtûs *Arteriolas duas Illiacas* ad placentam uteri defertur, ut ibidem depoſitis ex ſanguine materno arterioſo particulis chyloſis dulcibus aëriſque à matre inſpirati portione imbuatur, & ſic imprægnatus ille ſanguis tanquam fœtûs nutrimentum per venam umbilicalem (etiam per placentam uteri diſperſam) reabſorbeatur, atque versùs Epar fœtûs deportetur; Non ingrediendo tamen *ipſius Epatis Parenchyma*, ſed ſtatim per venam cavam pars hujus ſanguinis in auriculam dextram, & ab hinc dextro cordis ventriculo, pars verò per *foramen ovale* venæ pulmonalis & ab hinc in ſiniſtram auriculam, tum ſiniſtro cordis ventriculo affertur; pars ſanguinis verò in dextro cordis ventriculo contenta, non in pulmones, ſed *per vas breve arterioſum* immediatè in aortam defertur, & ex hoc una cum reliquo etiam è ſiniſtro cordis ventriculo propulſo ſanguine in totum corpus & omnes partes pro Nutritione fœtûs diffunditur; Hinc quoque ad *arterias illiacas*, â quibus rurſum ad *placentam uteri*, & ſic tam intrà quàm extrà uterum fœtûs circulatio ſanguinis perennis continetur, & hoc demonſtratur per *ligaturas* ad oculum; quatenùs Arteriæ *versùs fœtum*, vena verò *versùs placentam* intumeſcunt.

## §. 52.

## *De Placenta Uteri.*

CUm verò Embryo tractu temporis in fœtum evadat, ocyùs provida natura & novo & ſufficienti fœtui ſuggerendo alimento, perquàm ſollicita eſt, & cùm fœtus *comeſtionis* ac ciborum ingeſtionis neſcius *opportunum pabulum* accipere non poteſt, igitur amandatis fœtûs arteriolis illiacis, & venâ umbilicali è longinquo loco nutrimentum fœtui neceſſarium per *funiculum*

*lum umbilicalem* apportari curavit, haud aliter, ac ſi aquæ ſcaturientes è diſſitis locis ad urbem aliquam per canales traducantur: cùm autem fœtus utero materno incluſus communi cum matre vitâ fruatur, ita & neceſſariò *communi* cum matre *nutrimento* ali debet, ad hoc autem negotium natura *corpore* quodam *intermedio* opus habebat, in quod *nutrimentum* à ſanguine materno ſeparatum deponetur, & *depoſitum* dein per venam fœtûs umbilicalem reaſſumetur, ſicque fœtui pro alimento apportetur: corpus verò hoc intermedium ab Anatomicis *placenta ſive Epar uterinum* dicitur.

*Eſt* autem placenta *carniformis quædam maſſa, mollis ſpongioſa, ex rubro ad nigredinem vergens* fœtum verſùs, inſtar ſcutellæ leviter excavata, qua parte mediante *funiculo umbilicali* fœtui & membranæ chorion, parte verò convexâ utero conjuncta eſt.

Conſtat ex congerie *acinarum ſive papillarum*, quæ fœtûs atque matris vaſis interjacent.

*Figuram* obtinet quaſi *rotundam*, *pedem latam*, *tres digitos craſſam*, circa extremitatem verò tenuiorem; Hæc innumeris & *à matre & à fœtu* aſportatis vaſis ſanguiferis irrigatur, quibus mediantibus mirificè in placenta concurrentibus non ſolùm ſanguinis circulatio, ſed & *ſtrictiſſimus inter matrem & fœtum conſenſus cauſatur*, ita ut morbi matris plerumque fœtui imprimantur.

Cohæret *placenta* ſpongioſo quodam pulpamento uteri fundo, & licèt primis geſtationis menſibus, ſicut fructus immaturus arbori *utero pertinaciter* adhæreat, nihilominùs tamen quò major fœtus evaſerit, quoque maturior partuique proximior fuerit, eò faciliùs *ab utero* recedit, tandémque ceu fructus maturus poſt expulſum fœtum ab *utero* vel *ſponte dilabitur*, vel ſaltem levi negotio ab obſtetrice peritâ manibus apprehenſa abduci & ſeparari poteſt.

*Uſus* placentæ eſt, ut *mediante illâ nutrimentum unacùm ſubtiliſſimâ aëris à matre inſpirati portione in placenta è ſangui-*

*ne matris arterioſo ſequeſtratum, & à vena fœtûs umbilicali reabſorptum fœtui communicetur.*

Fit autem *fœtûs nutritio*, quatenùs ſanguis maternus per arterias *ſpermaticas & hypogaſtricas* in uteri ſpongioſam ſubſtantiam forti pulſu impellitur, hinc etiam in *placentæ utero adhærenti* porulos neceſſario inſtanter urgetur, ubi hujus ſanguinis particulæ æthereo-chyloſæ & nutritiæ in placentæ ſubſtantia molli ſpongioſa quaſi *per cribrum* ſequeſtrantur, & harum *tenuiores* particularum ſeparatarum *portiones*, utpote magis *proportionatæ*, etiam mediante ſanguinis arterioſi à fœtu per *arterias illiacas* affluentis impulſu, in ramificationum *venæ umbilicalis* oſcula intruduntur, & ſic undulatim per *funiculum umbilicalem* in ipſius fœtûs intimam ſubſtantiam progrediuntur, & per omnes fœtûs partes circulantur, hinc illæ nutriuntur, econtra verò *craſſiores* ſanguinis materni *ſegregatæ portiones* tanquam *improportionatæ* reſpectu oſcillarum *venæ umbilicalis* præterfluendo in oſcula *venarum matris ſpermaticarum* parili modo imprimuntur, & dein lege circulatoriâ usque ad cor matris reportantur, ubi denuò perenni ſanguinis circulo magis magisque exaltantur, attenuantur, ſicque elaborantur, ut tandem etiam ad nutritionem & fœtûs & matris aptæ reddantur.

## §. 53.

### *De Conjunctione oſſium.*

CUm verò etiam ad Medicinam præſertim in caſibus Medico, Chyrurgicis multùm faciat *oſſium in corpore humano* exiſtentium habere notitiam, igitur illorum deſcriptionem aggrediemur; ſunt autem non *unum* ſed *plurima* in corpore noſtro à providâ naturâ ordinata oſſa; ideò ne homo immobilis trunci inſtar in uno loco perpetuo affirmatus hærere cogatur, inſuper & ad varios motus, incurvationes & flexiones edendas aptus natus ſit. Eſt ergo os *pars duriſſima & ſicciſſima ad totius corporis ſtabilimen, rectitudinem & figuram ordinata*, dividitur in *tres* ordinariè partes, quarum media ejus pars *corpus oſſis* dicitur,

tur, altera eſt legitima oſſis protuberantia & *apophiſis* ſeu *oſſis proceſſus* vocatur; tertia eſt magis quædam adnaſcentia oſſis & *Epyphiſis* ſeu *apendix* nuncupatur. Conjunctio oſſium duplex eſt, nempe una *cum motu*, quæ *articulatio*, & altera *ſine motu*, quæ *ſymphiſis* dicitur. *Utraque* hæc oſſium conjunctio rurſum triplex eſt, & quidem prioris *prima ſpecies eſt*, quando cavitas profunda amplum oſſis caput excipit, & *inarticulatio* ſeu *Enarthroſis* vocatur; ſecunda eſt, quando minor cavitas minùs oſſis caput excipit, & hæc *adarticulatio ſeu arthrodia* dicitur; *tertia* denique eſt, dum mutua oſſium veluti per cardinem fit receptio, & hæc *gynglymus* appellatur.

*Poſterioris* oſſium conjunctionis totidem etiam ac prioris ſunt ſpecies, prima autem eſt *ſutura*, quâ mediante oſſa per varias inæqualitates junguntur; ſecunda eſt *Harmonia*, quâ per lineam; *Tertia* eſt *gomphoſis*, quando nempe clavis inſtar os oſſi inſeritur, prout dentes maxillis infiguntur.

Fiunt inſuper memoratæ conjunctiones quatuor præcipuè modis, & primò vel intercedente cardilagine & *ſyncondroſis*, vel carne, & *ſiſarcoſis*, vel ligamento, & *ſyneuroſis*, vel tenui quâdam membranâ, ut in infantibus, & *ſinimenſis* dicitur.

## §. 54.

### *De Oſſibus Capitis & Maxillarum.*

HIs itaque præmiſſis ad ſpecificam oſſium *Sceletonis* deſcriptionem tendimus, unde primò oſſa dividuntur in oſſa *Capitis*, *trunci*, *& artuum*. Oſſa ergo Capitis ſubdividuntur *in cranium & maxillas* duas; *cranium* duâbus conſtat *laminibus* interpoſito *meditullio* ſive *diplôe*, & octo habet oſſa, quorum primum *anticum*, *ſive os frontis*, duo lateralia ſuperiora ſive *oſſa ſincipitis*, *quartum poſticum* ſive *os occipitis*, duo oſſa *temporum*, quæ ſuperiùs ſquamoſa, in auribus verò petroſa & habentia proceſſus tres *jugalem* nempe *ſtyloidem* & *interiorem*; tandem *os ſpenoides* ſeu *cuneiforme* exiſtens in baſi calvæ, cum proceſſibus *ſellam equinam* referenti-

tibus, & octavum os *Ethmoidis* ſeu *crybroſum* cum proceſſu *cryſtato* & *vomere*, dividuntur hæc cranij oſſa 6. Suturis, tribus nempe *veris*, quarum prima *ſagittalis*, oſſa *ſyncipitis*, ſecunda *coronalis*, os frontis, tertia *lambdoidæa*, os occipitis ab oſſibus ſyncipitis ſeparans & *tribus mendoſis*, quarum prima *Ethmoidæa*, ſecunda *Sphenoidæa*, & tertia *temporalis*, quæ memorata oſſa à ſe invicem dividunt, hæ ſuturæ ad *meningum ſuſpenſionem*, *halituum tranſpirationem*, & *ad oſſium ſecuritatem ordinatæ ſunt:* Huc ſpectant quatuor oſſicula in cavitate oſſis petroſi exiſtentia ſcilicet *malleus*, *ſtapes*, *incus*, & *oſſiculum* orbiculare; item oſſiculum *triangulare* occipitis, & oſſicula *Wormiana* inter ſuturas detenta, tandem *fons pulſatilis* in nuper natis membranaceus inter ſuturam coronalem & ſagittalem medio exiſtens.

Oſſa Capitis ſequuntur oſſa maxillarum *ſuperioris* nempe & *inferioris* maxillæ. Superior habet in quovis latere quinque oſſa, quorum primum vocatur os *Zygomaticum* ſive *jugale*, ſecundum *lachrimale*; 3. *maxillare* alveolos dentium continens, quartum *naſale*, quintum *palati poſticum*, & hæc oſſa Harmoniis junguntur. Inferior maxilla in adultis eſt os unicum, in recens natis diviſum, & *præſepiola dentium* continet cum proceſſu *corone* & *condyllo*: dentes ſunt oſſa parva plùs minùs rotunda maxillis clavorum inſtar per *gomphoſin* infixa; 16. ſuperiùs & totidem inferiùs numerantur: octo nempe *inciſores*, quatuor *canini*, & 20. *mollares*, quorum ultimi quatuor dentes ſapientiæ vocantur.

## §. 55.

### *De Oſſibus trunci.*

SEquuntur modò oſſa *trunci*, cui poſterior & præcipua pars eſt *Spina* dorſi; quæ 24. *vertebris* conſtat, ob ſecuritatem & mobilitatem factæ: ſunt autem vertebrarum 7. *Cervicis*, inter quas prima *Atlas*, ſecunda *Epiſtrophæus* cum *dente* dicitur; 12. *dorſi* & 5. *lumborum*, omnes foramine amplo, per quod medulla ſpinalis excurrit, & 7. proceſſibus 4. *obliquis*, duobus *tranſverſis*, & uno *acuto ſpina* dicto præditæ ſunt, quâ tamen *ſpinâ* caret

*Atlas*;

*Atlas;* his annectitur os *ſacrum*, quod ex 6. *ſpuriis* atque *immobilibus* vertebris componitur, in cujus extremitate appenſum eſt *oſſiculum coccygis*, quod præter modum in parturientibus introrſum curvatum mulieribus partum difficilem reddit: ab utroque latere oſſis ſacri eſt os magnum *Innominatum* dictum, in adultis in unicum, in recens natis mediante cardilagine in tria oſſa diviſum; nempe in os Illion, quod eſt ſuperiùs, in os *Iſchium* ſive *coxendicis*, quod eſt inferiùs & poſteriùs, & in os pubis, quod inferiùs & anteriùs exiſtit. Cavitas verò ampla inter os innominatum, & os ſacrum exiſtens *Pelvis* vocatur: Pars altera trunci anterior & ſuperior vocatur *Thorax*, cujus partem ſuperiorem conſtituunt *claviculæ* & *ſcapulæ*, quæ tres proceſſus habent, nempe *Coracoideum*, *ſpinatum* & *brevem;* ex utroque latere 12. ſunt coſtæ, quarum 7. ſuperiores ſuis cardilaginibus ſternum attingentes *veræ:* inferiores autem 5. *ſpuriæ* dicuntur; anteriùs in medio eſt os magnum, in recens natis ſemicardilagineum, quod *ſternum* vocatur, cui in fine adhæret *Cardilago Mucronata* in neo natis ad orificium ventriculi ſiniſtrum valde conſpicua.

## §. 56.

### *De Oſſibus artuum.*

TAndem ſunt oſſa artuum, quæ in ſuperiores & inferiores dividuntur; ſuperiores artus pro fundamento habent *ſcapulas;* quæ ſunt oſſa duo tenuia coſtis ſuperioribus & poſteriùs *ſcuti inſtar* incumbentia, anteriùs ſunt *claviculæ*, quibus mediantibus ſcapulæ *ſterno* firmiter junguntur, dein occurrit os *humeri* ſive *brachii*, cujus *caput* magnum & rotundum *ſcapulæ cervici inarticulatur*, dein à flexura brachii oriuntur duo oſſa cubiti, *ulna* nempe & *radius*, junguntur ſuperiùs ſinubus oſſis humeri, inferiùs oſſibus carpi, proceſſum habent *Olecranon* der Ellenbogen vocatum, ſequuntur oſſa manûs extremæ, quorum 8. *carpi*, 4. *metacarpi*, *& quindecim* digitorum cum 12. rotundis apendicibus oſſiculis *ſeſamoidæis* dictis: Finem tandem imponunt artuum inferiorum oſſa, quorum primum os, *femur* vocatur habens ſuperiùs duos proceſſus *Trochanteres* dictos, & unum pro-

ceſſum

ceſſum *cervicem* dictum, cui caput magnum rotundum cardilagine obcruſtatum appoſitum eſt, inferiùs itidem habet hoc os duos proceſſus ſinubus ſuis *tibiæ* ac *fibulæ*, inſertos, ſequitur denique *crus* conſtans duobus oſſibus *Tibiâ* nempe & *fibulâ*, quorum proceſſus inferiùs ad *tarſum*, duos *malleolos* internùm nempe & externùm conſtituunt: Huc ſpectat quoque *patella* die Knieſcheiben; extremum pedem conſtituunt 7. oſſa *tarſi*, quorum primum *aſtragalus*, ſecundum *calcaneus*, tertium *naviculare*, quartum *cuboides* & cætera innominata ſunt. Dein ſunt 5. oſſa *Metatarſi*, 14. *digitorum*, cum duodecim *oſſiculis ſeſamoidæis*.

LIBER

# LIBER II.

## *De Partibus medii ventris continentibus & contentis.*

### §. I.

### *De Thorace.*

POſt deſcriptionem *infimi ventris* ſurſum aſcendendo ad medium ventrem vulgò *Thoracem* à græco verbo θώραξ ἀπὸ τȣ̃ θορέω, id eſt ſalio ob perpetuum nempe cordis in Thorace ſiti *ſaltatorium quaſi motum* ſic dictum noſtrâ anatomicâ deſcriptione progredimur; hoc autem thoracis vocabulo non *in latiori* ùt apud Hypocratem occurrit; ſed in *ſtrictiori*, nempe cum Galeno aliisque authoribus ſenſu & ſignificatione utimur: Intelligentes nempe ſub nomine thoracis id tantùm, quod ſuperiùs *claviculis*, inferiùs *diaphragmate*, utroque latere *coſtis*, parte anteriori *ſterno*, poſteriori *verò vertebris* continetur, atque circumſcribitur, quare inter partes thoracis primò ea pariter ac in abdomine conſideranda veniunt; partes ſcilicet *continentes*, & partes *contentæ*, partes continentes rurſum ſunt aliæ *communes*, & aliæ *propriæ*, illæ ſunt, quæ in abdomine ac per totum corporis ambitum ſimul viſuntur, *cuticula* nempe, *cutis*, *pinguedo*, *panniculus carnoſus*, de quibus autem jam ſuperiùs actum eſt.

Hæc verò ſunt *mammæ*, *muſculi pectorales & intercoſtales*, *coſtæ & vertebræ*; partes verò contentæ ſunt illæ, quæ in thoracis



cavi-

cavitate continentur; ùt *pulmones*, *cor*, *aſpera arteria* &c. de quibus in ſequentibus agemus:

## §. 2.

## *De Mammis.*

INter partes continentes proprias primò occurrunt mammæ, quæ in mulieribus *primariò* conſiderari ſolent, cùm virorum, mamillis plerumque vix notabilem attribuerit natura *magnitudinem & uſum*, ſunt autem mammæ in mulieribus *binæ;* ut unâ læsâ altera præſtare poſſit officium; nec minùs ut geminæ proli idonei alimenti proventu ſufficere queant; Quare deſcribi poſſunt mammæ, *quòd ſint partes in pectore fæmineo ſitæ monticulorum inſtar eminentes*, ad humorem lacteum nempe è materia ſanguinis Chyloſo-ſeroſa dulci vi ſpecificâ glandularum ſtructurâ ſegregandum, inque ſuis tubulis conſervandum, eúmque ad prolis nutritionem ſtato tempore ſubminiſtrandum deſtinatæ; dixi in pectore fæmineo ſitæ; & quidem primò ob *loci commoditatem* ſive enim ſedeat, ſive ſtet nutrix, facilè gremio exceptum, ulniſve amplexum puſionem admovere mammis ad alendum poteſt. Secundò propter *honeſtatem*, nempe ne cum extremo pudore nutrices detegere cogantur illas partes, quas etiam natura in brutis *caudâ, quaſi velo* texit; Tertiò ob *venuſtatem pectoris*. *Magnitudo* mammarum varia eſt, non tam in ſpeciebus, ſed etiam in ipſomet individuo, nam in aliquibus regionibus *majoribus* mulierculæ præditæ ſunt mammis, uti in Regno Senegæ, Helvetia, & Tyroli, & in inſula Arnabonis, in aliquibus verò *minoribus;* ùt in Ægypti inſula Meroë, in Auſtriâ & Italiâ. Ita quoque in virginibus neònatis ſunt *quaſi nullæ*, cùm verò puberes evadunt, maximè dum *primus menſtruorum inſtat fluxus*, augentur, quia verò non una tantùm, ſed ambæ ſimul æqualiter accreſcunt mammæ, & tunc temporis *ſororari* dicuntur, cùm verò expertæ ſint virum tument, præcipuè verò cùm utero geſtant, aut lactant. In *obeſis* in majorem molem propter pinguedinis copiam *grandeſcunt*, in ætate provectioribus *flacceſcunt*, in vetulis verò *evaneſcunt*, ita ut nil fermè præter papillas ſubinde propendeat:

*Figu-*

*Figura* mammarum ſubrotunda eſt, ſpatio verò interpoſito ſunt diſterminatæ; nempe *ſemiglobum* quævis mamma refert, in nonnullis autem propter nimiam molem, vel flacceſcentiam infra coſtas notas propendent.

*Subſtantia* mammarum compages quædam candicantium glandularum eſt, quia componuntur mammæ ex multis *glanduloſis corporibus* magnitudine diverſis, variis vaſculis tubulis ac ductibus inter ſeſe coeuntibus, inde illud beneficii habent, quòd, licèt aliquæ glandulæ *abſceſſu* pereant, non pereat tamen *omnis mammarum uſus*, *glandulis* etiam hiſce *copioſa intertexta pinguedo* eſt, ad conciliandum intus blandum calorem, foris autem gratam præbere æqualitatem, quandoquidem glandulæ ſolæ ſine intertexta pinguedine *nimium duræ*, & ad alendum fœtum improportionatæ forent, hæ rurſum glandulæ unacum pinguedine uniuntur, ſimulque tenuiſſimâ membranâ carnosâ ſuccinguntur, & ſubjectis hîc muſculis pectoralibus & in ſpecie verò *muſculo pectorali humerum adducenti* annectuntur. In illa mammarum compage *majuſcula quæpiam glandula* in cæterarum *veluti centro* ſub ipſa papilla conſiſtit, cui reliquæ minores circumjacent, inſuper etiam *vaſorum lacteorum plexus retiformis* innumeris modò dictis glandulis & pinguedini interjacet, quo mediante non ſolùm *lacteus ſuccus* ad omnes glandulas, ſed & inſuper à minoribus ad majores, uſque dum tandem omnes glandulæ *ſuum lac* ad maximam glandulam ſub papilla ſitam effuderint, defertur; quare in ipſis glandulis *pori ſunt ampli* & copioſi, in quibus tanquam *in cellulis* lac, usque ad ſuccionis tempus aſſervatur, & tum ſugendo exprimitur, licèt ob alias cauſas ſubinde etiam ſponte effluat.

*Magnæ* glandulæ ſuperſtat *Papilla*, *quæ corpuſculum eſt teres, ac fungoſum* tenui cute cinctum, multisque foraminulis pervium; in hanc papillam lactei ductus terminantur, ac per ejusdem foraminula lac, tanquam per tubulos in os infantis cùm ſuctione, tùm preſſione intruditur; Eſt autem *papilla iſthæc* exquiſiti ſensûs ob nervorum in ea concurrentiam, quare ex levi & grata contrectatione *voluptas* percipitur, unde matres nutricésque lubentiùs, & cum voluptatis quodam ſenſu infantibus mammas præbent:

*Circulum* habet papilla circumjectum, qui *areola* nuncupatur; *pallida* eſt hæc in virginibus, *fuſca* in prægnantibus & lactantibus, *nigra* verò in vetulis. Obſervatur in gravidis maſculum geſtantibus tam Areola, quàm papilla rubicunda.

*Arterias* atque *venas* utraque habet mamma geminas *externas* & *internas*, arteriæ ab *axillaribus*, utrinque proveniunt, & per exteriora mammarum diſtribuuntur, *internæ* verò ab *arteriæ magnæ ramis ſubclaviis* oriuntûr, & *mammariæ* dicuntur, atque in internas mammarum glandulas infinitis propemodùm ſurculis diſtribuuntur, ac diverſiſſimos veluti plexus efformant: Has totidem commitantur venæ conſimili ratione, à *ramo* nempe *ſubclavio*, nec non *à vena axillari* deductæ ad ſanguinem vitali ſpiritu ac ſero-chyloſo imprægnatum revehendum.

Plerumque hæc vaſa circa *geſtationis & lactationis* tempora plurimùm diſtenduntur, & ampliantur, proùt experientiâ obſervatur.

Nervos habent à *4to* & *5to pari medullæ ſpinalis*, & etiam ab intercoſtalibus ſuperioribus; qui ad papillam copioſiores delati, ibique deſinendo concentrati exquiſitiorem eis ſenſum tribuunt.

Inveniuntur equidem plurimi *ductus lymphatici*, in vaccis & majoribus animalibus admodùm conſpicui, quorum ope copioſa lympha affluit, unde Chylus è ſanguinis maſſâ ſegregatus diluitur, hinc albeſcit, & fluxile evadit lac.

*Uſus* mammarum eſt geminus & duplex, primarius nempe & ſecundarius, *Primarius* eſt *lac conficere* ex maſſæ ſanguineæ materia chyloſo-ſeroſa dulci, quæ ſingulari glandularum in mammis ſtructurâ ſegregatur, inque harum tubulis aſſervatur, atque infanti ſuctionis tempore præbetur, ſecundarius verò eſt lac cæteráſque in cavitate thoracis *contentas partes calore ſuo blando fovere, & mulieribus formoſitatem conciliare.*

*Papillarum* verò uſus eſt, *nutrici ut inſerviat pro infundibulo, infanti verò pro Epiſtomio*, quo mediante illa, ut inferat, hic verò, quo promat, ſugat, & lac exprimat, habeat.

§. 3.

## §. 3.
## *De Muſculis Pectoralibus.*

INter thoracis partes *continentes proprias* etiam muſculi pectorales viſuntur, qui & thoracem ex parte anteriore, & ex utroque latere, ſimúlque & parte poſteriori tegunt; hi autem duplices ſunt, vel enim coſtis accumbunt, eíſque adnaſcuntur & *pectorales* dicuntur; vel ipſis coſtis intertexuntur; *& intercoſtales* dicuntur:

*Thoracis* muſculi proprii *pectorales* etiam dicti utrinque ſex numerantur, & eſt horum

*Primus ſubclavius;* quia ſub clavicula ſitus eſt, hic ſpatium inter claviculam & primam coſtam replet; & eſt *primus, qui thoracem diſtendit.*

*Secundus* eſt *ſerratus anticus major*, magnus eſt iſte muſculus, latus & undiquè carneus, *ſerratus* ideò dictus, quia cum abdominis obliquè deſcendente muſculo *ſerratam efformat compagem.* Oritur ex interna baſi ſcapulæ, porrigitur tendine ad coſtas, *quas extollit.*

*Tertius* eſt *ſerratus poſticus ſuperior minor*, hic ſub muſculo *Rhomboide* inter utramque ſcapulam ſitus eſt, oritur à ſpinis vertebrarum dorſi ſuperiorum, & inſeritur ſuperioribus coſtis *ac illas ſurſum trahit, ſicq; thoracem dilatat.*

*Quartus* eſt *ſerratus poſticus inferior major*, & hic latus & membranoſus eſt, ferè in dorſi medio ſub muſculo latiſſimo ſitus, à ſpinis vertebrarum dorſi inferiorum ortus; inſeritur ad coſtarum inferiorum intervalla veluti in digitos diviſus, & *inferiores thoracis partes etiam hic muſculus dilatat.*

*Quintus* eſt *ſacrolumbus*, qui præcedenti ſubſternitur, à plurimis Authoribus putatur eſſe communis tam dorſo quàm thoraci, quia ab oſſis ſacri poſteriori parte & è lumborum ſpinis oritur, inſeritur hic muſculus quoque inferioribus coſtis, & ſervit *ad thoracem extendendum ac erigendum.*

*Sextus* tandem muſculus vulgò *triangularis* dicitur, licèt verum triangulum non efformet, parvus eſt & ſubtilis, in macilentis vix carnoſus, intrà ſub ſterno latitat, unde *ſterni muſculus* commodiùs appellari poſſet, inſeritur ubique cardilaginibus coſtarum inferioribus, *quas adducit, & ſic thoracem conſtringit.*

## §. 4.

### *De Muſculis intercoſtalibus.*

POſt pectoralis thoracíſque muſculos viſu ſe offerunt muſculi *intercoſtales*, ita dicti, quia coſtis intertexuntur, ſunt autem hi toti carnei, numero *quadraginta quatuor;* in utroque coſtarum latere *viginti duo*, undecim nempe *externi*, & totidem *interni*, nam ſemper inter *binas coſtas*, *bini muſculi* ſibi invicem incumbunt, dantur autem utrinque coſtarum undecim ſpatiola intermedia, ſive intervalla.

*Externi* muſculi oriuntur à *ſuperiorum coſtarum partibus inferioribus*, & obliquè versùs *poſteriora* deſcendentes, inſeruntur *coſtarum inferiorum partibus ſuperioribus. Interni à coſtarum inferiorum partibus ſuperioribus* oriuntur, & obliquè ſurſum aſcendentes *ſuperiorum coſtarum partibus inferioribus inſeruntur.*

*Externi* tandem in cardilagines coſtarum deſinunt, per modum membranarum validiſſimarum. *Interni* verò & coſtarum & cardilaginum ſpatiola implent; *fibras* habent hi muſculi *obliquas* quæ ſe mutuò interſecant inſtar litteræ latinæ X. hinc in Empiematis apertione ſectio *rectà vel tantiſper cultro obliquè ducendo & ſemper à coſta ſuperiori ad inferiorem deſcendendo* ſecundùm nempe fibrarum obliquarum ductum, nullo autem modo *tranſverſa* facienda eſt.

Vaſa accipiunt hi muſculi varia, ab arteriis & venis *azygos* & *intercoſtalibus* ſuperioribus utrinque; *Nervos* verò habent *à ſexto pari* unacum illis quoque conjunctis, qui è medulla dorſi ſpinali prodeunt.

*Uſus* eſt *thoracem dilatare & ſimul contrahere*, *externi* coſtas deprimendo thoracem *conſtringunt*, ſicque *exſpirationem* promo-

movent, *interni* verò coſtas attollendo thoracem *ampliant*, & ſta ad *reſpirationem* conducunt hi muſculi.

Relictâ oſſium thoracis, ſterni nempe & coſtarum, vertebrarum, clavicularum, & ſcapularum deſcriptione (quoniam ea in ſcleton demonſtranda exſplicandáque veniunt) ad interiora propero, priusquam tamen illius penetralia reſeramus, modum pectus aperiendi obiter dicemus.

Igitur muſculis pectoralibus utrinque pro parte remotis, ducatur culter *à diaphragmate ſurſum circa & per connexiones illas*, quibus parvæ cardilagines coſtis oſſeis alliguntur, ſternúmque, quod jugulum versùs ſemper magis accuminatur cum dictis cardilaginibus annexis, *caput versùs reflectatur*, quod verò cum ſine mediaſtini diſſectione fieri nequeat; igitur id ante ejus omnimodam diſſectionem *per inciſiones & apertiones* factas, ſternóque quantùm poſſibile elevato, *introſpiciendo* in ſuo ſitu ſpectandum erit.

## § 5.

## *De Diaphragmate.*

PEctore verò aperto *ſeptum transverſum* conſiderandum venit; muſculus enim non ſolùm non eſt, ſed & communem cum intercoſtalibus muſculis internis habet uſum; græcè *diaphragma* appellatur, ideò, quia transverſim corporis noſtri truncum in duos ventres, *medium nempe & infimum* dividit, antiquioribus græcis *Phrænis*, id eſt mens, latinis *præcordia* vocabatur, quia eo nempe affecto, mens & ſenſus ſimúlque cor perturbantur, propter *conſenſum maximum*, quem *nervoſa & media* diaphragmatis pars cum *cerebro & corde* habet, hinc in ejus inflammatione mox *Paraphrenitis* contingere ſolet. Eſt ergo *diaphragma Muſculus transverſus partes naturales à vitalibus ſecernens*, atque *liberæ reſpirationis maximum inſtrumentum*, & præter hoc ad majora officia deſtinatum.

Oritur diaphragma *à Cardilagine enſiformi*, & utrinque versùs lumborum vertebras (quia non nihil deorſum inclinat) obliquè circumtenditur.

*Magni-*

*Magnitudo* ipſius tanta eſt, quantus eſt ambitus medii, & infimi ventris; *numero unicum eſt;* & ſubſtantiam cum omnibus muſculis communem habet; *figura* ejus varia eſt, ubi nempe coſtarum ſpuriarum extremis alligatur *rotundum* eſt, ubi verò coſtis veris & ſterno juxta cardilaginem mucronatam alligatur, *quodammodò acutum eſt*, in lumbis primò *acuatur*, ſed mox muſculum quadratum & Pſoas ſupergrediens *ſinuatur*, tandem verò in *duos proceſſus oblongatur*, quibus ſenſim acutioribus redditis validè extremis lumborum vertebris ſtatim ſupra renes inſeritur.

*Conſtat* diaphragma duabus præcipuis partibus ſive *circulis* uno *nerveo* in ſui centro collocato, qui proprio nomine *centrum nerveum* nuncupatur, *altero carnoſo*, qui à dicto nerveo centro paulatim membranoſior factus, usque in coſtarum ambitum continuatur, uterque circulus & roboris & ſecuritatis gratia conſtructus eſt, *centro nerveo* inflicta vulnera *inſtantiſſimam, irreperabilémque mortem* cum *citiſſima* cadaveris *refrigeratione* inducunt; ſed in carnoſa diaphragmatis parte inflicta vulnera *immediatè* & *per ſe* læthalia quidem non ſunt, proùt multa paſſim penes Authores exſtant exempla, *diaphragma* membranâ duplici veſtitur, quarum ſuperior & thoracem versùs ſpectans, *pleuræ expanſio eſt*, cui mediaſtinum & pericardium firmiter adhærent. Inferior verò & partem abdominis ſpectans, *pærithonæo* accepta fertur. Perforatum eſt diaphragma circa medium, *dextrorſum* pro venæ cavæ, *ſiniſtroſum* pro æſophagi & nervorum ſtomachicorum tranſitu. *Quantum* verò ad arteriam Aortam, illa *non perforat* diaphragma, ſed vertebris incumbens, arteria quaſi ſemicirculo quodam in tranſitu à diaphragmate comprehenditur, etiam intra diaphragmatis apendices via præbetur *venæ ſine pari* & nervis ſextæ conjugationis ac ductui thoracico.

*Vaſa* accipit diaphragma arterias duas *phrænicas* dictas ab arteriæ magnæ trunco provenientes, venas itidem duas quoque *phrenicas* dictas à venæ cavæ trunco deſcendente ortas.

*Nervos* utrinque valde ſpectabiles habet, qui per totam ejus ſubſtantiam ſparguntur, ſed hîc *peculiare quid* exſtat, quòd nervi non è loco ſive è vertebris dorſi directè appoſitis, ſed *è quarta* vel *quintâ colli vertebrâ* educantur; hinc deorſum per thoracis

cavum

cavum excurrentes, interea à *Mediaſtino* ne lædantur contenti & ſtabiliti ad ipſum diaphragma tendunt; aſt propè diaphragma rurſum in quatuor vel plures ſurculos diviſi; tum alii parti ejus *carnoſæ*, alii parti *nervoſæ* imerguntur, quod nullis aliis partibus ſub claviculis ſitis contingit, ſed *ſoli diaphragmati* proprium eſt, ſuccedunt etiam inferiùs nervuli *à trunco intercoſtali* & à *lumbaribus*.

*Hos* inſuper diaphragmatis nervulos plures recentiorum cum ramulis nervorum in *maxillarum* & *labiorum* muſculos diſtributis permiſceri volunt; hinc diaphragmate percuſſo *riſum ſardonicum* oboriri dicunt, quia convulſis iſtis, per conſenſum & illi maxillarum nempe & labiorum convellantur nervuli, hinc riſus ille (qui eſt *convulſionis ſpecies*) oriatur:

*Uſus* diaphragmatis eſt ſecundùm Galenum lib. 5. de uſu partium c. 15. *liberæ reſpirationis eſſe inſtrumentum, contractione enim ſuâ* thoracis conſtrictionem, hinc exſpirationem. *Dilatatione* verò thoracis dilatationem, hinc inſpirationem quàm maximè promovet, & ſic una cùm muſculis abdominis viſcera comprimendo, primò è ventriculo *chylum*, ex inteſtinis *fæces*, è veſica *urinam*, ex utero *fœtum* protrudere; hinc etiam promovere chylum in *ductum thoracicum* videtur, quatenùs nimirum & ſuorum circa vertebras proceſſuum agitatione *ſubjectam cyſternam* comprimit.

## §. 6.

### *De Pleurâ, Mediaſtino; & Thymo.*

POſt diaphragma cernitur *Pleura*, *mediaſtinum* & *thymus;* eſt autem Pleura *membrana valida dura & alba coſtis eorúmque muſculis ſuperextenſa, thoracis cavitatem intrinſecus ſuccingens.* Oritur à tunicis, quæ nervos intercoſtales ex ſpina dorſi egredientes tegunt, eſt *ubique duplex*, duabus ſcilicet conſtans lamellis, quarum externa thoracis cavitatem reſpiciens *dura* ſed *lævis & lubrica* eſt, ne pulmones in eam impingant, interna verò coſtis, muſculíſque intercoſtalibus annexa *tenuior ſed aſpera & inæqualis* eſt, inter has membranas ſæpiùs *materia pleuritica* colligitur: Muſculis *Meſópleuris*, coſtis, ſterno & vertebris firmiter cohæret, oſſibus autem intercedente *pe-*

*rioſtio* annectitur; modò in uno, modò in altero latere nerveas fibrillas ex ſe emittit, quarum interventu multoties in ſanis *pulmo pleuræ* annectitur, ſine tamen ullo reſpirationis incommodo.

*Pleura* habet plurima foramina conſpicua, nimirum pro tranſitu *Æſophagi*, *aſperæ arteriæ*, *venæ cavæ*, *aortæ*, *nervorum vagi paris &c.*

*Arterias* & *venas* habet ab *intercoſtalibus*, *mamariis & diaphragmaticis*; nervos *à thoracis intercoſtalibus*, unde vulnera hâc in parte inflicta dolorum *acutiſſimorum* ſunt cauſa.

*Uſus* eſt pleuræ, *thoracis latera intus reddere lævia, & æqualia*, ne pulmones in motu lædantur, ſecundò *thoracem intus veſtire*, muſculos intercoſtales firmare, coſtáſque in debito ſpatio & diſtantia continere.

*Ex pleura* oritur *Mediaſtinum*, *quod eſt membrana duplex thoracis cavitatem & pulmones in duas partes ſecundùm longitudinem diſpeſcens.* À ſpinæ oſſibus pleura oritur; quæ verò utrinque per latera ad ſternum aſcendit, ſub quo utriusque lateris membrana iſthæc conjungitur, & ſic lamellis conjunctis rurſum rectà ad dorſum porrigitur; & ſic *duplicaturam* conſtituens pulmones in duas partes diſpeſcens *ſepimentum* in medio thorace conſtituit, quod *Mediaſtinum* appellatur.

*Arterias* & *venas* habet *à mammariis* & *azygis*, inſuper propriam quoque venam *Mediaſtinam* dictam poſſidet à venæ cavæ trunco.

Nervos ab octavo pari ejúsque ramo recurrente & nervis diaphragmaticis.

*Uſus* Mediaſtini eſt primò *pulmones & thoracem bipartiri*, ut uno latere obſtructo, reſpiratio in altero perpetuetur; *ſecundò cor cum annexo pericardio ita ſuſpendere*, ut nullam ad partem allidat, vaſa ad ventriculum & diaphragma tendentia ſtabilire; *Tertiò diaphragma ſurſum continere*, ne ex eo ſuſpenſum hepar & ventriculus ſuo pondere illud *deorſum* revellant.

*Thymus* verò eſt *glandula conglomerata* in ſuprema thoracis parte ſub jugulo circa diviſiones venarum & arteriarum ſubcla-

vium

vium ſita, in *fœminis* & *humidis* corporibus *major*, quàm *in viris & ſiccis*, in vitulis *lactes* germanicè **das Brüßl** / appellatur, éſtque eſui expetitum abſonium.

*Arterias* & *venas* à vicinis *carotidibus & jugularibuus*, *nervos* à vago pari juxta carotides deſcendente recipit, vaſa lymphatica thymum præcipuè vitulorum perambulant venam axillarem accedentes, proprius verò *ductus* ejus lymphæ *excretorius* hucúsque fruſtrà quæſitus eſt.

*Quoad* uſum videtur thymus eſſe *ſegregatorium quoddam corpus*, prout omnia glanduloſa corpora eſſe ſolent; an verò *ſola lympha* ſerúmque ſanguinis, vel etiam *chyli portio* per ramulos aliquos ductûs thoracici *ad thymum* tendentes inibi ſegregetur, & ad certos uſus quaſi in diverticulo detineatur, inter Authores nondum concluſum eſt, ratio ultimi eſſe poteſt, quia in illis, qui veſcuntur alimentis ſolidioribus, chylúsque per ductum thoracicum non in tanta quantitate apportatur, *thymus multùm diminuitur atque extenuatur;* ſecundò vaſa ibi aſcendentia majora eorúmque ramos ad brachia & ſcapulas proficiſcentes fulcire; illáque ab *oſſium attactu tueri*, cùm ſit quaſi *pulvinar*, & ad vaſorum venæ nempe cavæ & arteriæ magnæ *ſuſtentaculum* poſitum.

## §. 7.

## *De Pericardio.*

TAndem venimus ad Pericardium, quod eſt *membrana cordi fermè immediatè circumducta*, illúdque tamquam *burſulâ* includens, igitur *involucrum*, *capſula*, *arcula*, & *cammera* cordis dicitur, & quemadmodùm *pericardium* cor comprehendit, ita illud à *mediaſtino* continetur, cujus *duplicaturæ* cor majoris ſecuritatis gratiâ includitur; figuram cordis perfectè emulatur, ſed paulò majorem; tantùm verò à corde diſtat, quantùm ſatis eſt pro libero cordis motu & humoris in hâc capſulâ contenti *convenientia;* adnaſcitur *exteriùs* mediantibus fibris mediaſtino, *ſuperiùs* venis & arteriis è corde exeuntibus, pro quorum tranſitu diverſis in locis *perforatum eſt;* inferiùs in *homine* annectitur *centro* ſeu *parti tendinoſæ* diaphragmatis; in *brutis* maximè

liber eſt; ſuperficies ejus exterior *aſperiuſcula*, interior verò ſummè *æqualis & lubrica eſt.*

Venas habet Pericardium ſuperiùs *à mediaſtinis & axillaribus*, inferiùs *à phrenicis*, arterias verò adeò exiles obtinet, ut vix conſpici queant, fortè quia aliàs cordi *vicinum* eſt, nervulos recipit à recurrente ſiniſtro, & à ſexto pari versùs cor tranſeunte.

*Uſus* ejus eſt, *ut ſit firmum cordis domicillium* proùt Gal. Hypocratem in Lib. de corde interpretatur, ne illud in motu duriores tangat partes, ſicque ab externis injuriis cor tueatur; ſecundò ut in ſe *contineat humorem quemdam* Pericardii cognominatum.

Eſt autem humor iſte in Pericardio contentus, *ſeroſus naturaliter nullius ſaporis ingrati particeps*, nonnihil *rubeſcens inſtar loturæ carnis;* unde autem humor iſte ad Pericardium perveniat, plurimùm dubitatur. Antiqui *è vaporibus* è corde exhalatis illum provenire putant, alii illum *tranſudare* ex pericardii arteriolis; alii à *glandula thymi* ſeparari, vel aliunde per vaſa lymphatica *adhuc incognita* advehi volunt; nos *congenitum* à natura hunc liquorem eſſe putamus.

*Uſum* verò illius Hypocrates deſcribens inquit; *continet in ſe Pericardium humorem ſeroſum, qui maximè accenſo corde in Medicinam ſit;* quaſi dicat, quantùm inflammationibus obnoxiæ membranæ ſint, & quàm facilè efferveſcente ſanguine partes iſtæ inflammentur, oſtendunt nobis frequentes *pleuritides*, huic malo verò occurſura provida natura per *humorem huncce lympidum* proſpexit, quo mediante cor & membranæ (ob continuum motum cæteroquin *exarreſcentes*, & ſic facilè *inflammationem patientes*) humectantur ac refrigerantur, hinc cordis motus *facilior* redditur, nimiàque *ſiccitas* prohibetur.

## § 8.

## *De Corde.*

INtra Pericardium continetur *cor*, quod eſt *principalis omnium viventium pars*, inſuper omnium viſcerum *Monarcha* & *ſol Microcoſmi* perbellè dici poteſt, quin imò præ omnibus in ho-

homine creatis *prærogativam ac principatum* tenet, ſedet in puppi tamquam microcoſmici regni *clavo*, ac omnium partium corporis *monarchiâ* potitur. Nullum animal ſanguine dotatum *corde* carere poteſt; & eſto multa de *cordis abſentia* apud Schenckium legantur exempla, tamen illa inter fabulamenta reponimus. Deſcribitur *cor*, quòd *ſit corporis pars maximè princeps carnoſa & ſine tendine muſculoſa in pectore inter duos pulmonum lobos ſita, reciprocâ ſui dilatatione & conſtrictione ſanguinem per venas ab omnibus* corporis partibus *recipiens, eundémque rurſus per arterias ad omnes partes ejiciens:* Hoc numero *unum* eſt, ſed in duas partes ab Anatomicis diſtinguitur, cujus pars ſuperior & latior *baſis*, inferior verò & anguſtior, quæ in mucronem acuminatur, *conus ſive apex* dicitur.

Poſitum eſt à natura in medio thoracis; ſed non mathematicè ſumpto, quoniam ſecundùm omnem differentiam tantiſper à medio abſcedit; nam quod attinet illam thoracis differentiam, quæ ſecundùm *ſuperiora & inferiora eſt*, declinat magis versùs *inferiora* cor; quod verò alteram differentiam attinet, quæ eſt versùs *dextram aut ſiniſtram partem*, certum eſt, quòd baſis & mucro cordis; non nihil *versùs ſiniſtram*, licèt mucro magis inclinet, præcipuè in ſui contractione, ubi factâ ſyſtole pectus ſub *ſiniſtra papilla* ferit: ad tertium quod ſpectat, quò ſecundùm *anteriora aut poſteriora* metitur, certum eſt quòd baſis *dorſum*, apex verò *ſternum* versùs proclinet. *Omni nexu ſolutum*, & nullis vicinis partibus alligatum eſt cor, ut liberrimè intra ſphæram ſuam ſeſe agitare poſſit, licèt reſpectu vaſorum à ſe ortorum cum partibus univerſis jungi dicatur.

*Cor figuram* obtinet *Pyramidalem inverſam*, ſeu potiùs *turbinatam; Magnitudo* & ſi varia pro ratione nempe ætatum & temperamentorum, ordinariè tamen naturæ lege in adultis *ſex transverſos digitos longum eſt, latum verò quaternos:* Obſervatum eſt quoque illud in hominibus audacioribus & calidioribus *minus ſed compactius;* in frigidioribus verò ac timidioribus *majus ſed mollius*, etiam in aliis pavidis & ignavis animalibus prægrande, in audacibus verò parvum aut mediocre cor eſſe plerumque ſolet.

*Subſtantia cordis* caro eſt, græcis *Parenchima* dictum, & deſcribitur à Galeno Lib. 2. de ſuccorum bonitate Cap. 4. ſic ajens:

*cor cæteris viſceribus duriorem ac fibroſiorem obtinet ſubſtantiam*, ac inter vaſa ejus cernitur carnoſa ſubſtantia veluti ſanguinis congelati: Itidem in corde fibræ multæ ſolidæ longæ prout in muſculis, (quibus carnoſa ſubſtantia circumſiſtit) cernuntur, unde aliqui cor *in muſculorum claſſem* reponunt, quare etiam Hypocrates Lib. de corde textu quarto ſic ait: *Cor muſculus eſt propter fibroſam carnis ſuæ ſubſtantiam*, hinc & contractione & relaxatione ſui, nam proùt actio muſculi in ſui contractione & relaxatione conſiſtit, ſic æquè cordis actio eſt; itaque cor ratione actionis & ſuæ carnis conſtitutionis cum Hypocrate muſculus quidem *in ſenſu lato* appellari, rectiùs tamen quoad figuram *cum muſculo convenire* dici poteſt: *attamen revera muſculus non eſt*, *primò* quia tendine cuivis muſculo neceſſariò caret, ſecundò quia actio cordis pro hominis arbitrio nec moveri nec inhiberi poteſt, proùt è contrario omnis actio veri muſculi à libero hominis arbitrio & in motu & in ſui quiete dependet.

*Subſtantiam* cordis obveſtit membrana, quæ ſicut tenuiſſima ita & validiſſima eſt, cujus exterior ſupervicies æqualis eſſet, niſi & adeps quibusdam in locis, maximè verò *circa ejus baſim* & vaſorum tumor obſtarent, hinc *duæ arteriæ & duæ venæ propriæ Coronariæ* dictæ viſuntur; ideò ſic dictæ, quoniam extrinſecùs cordis baſim *Coronæ inſtar* cingunt, inſuper habet cor & multa vaſa lymphatica, & nervos à ſexta conjugatione.

## §. 9.

### De ventriculis Cordis.

IN Corde duæ inſignes latitant cavitates, quæ ab Authoribus *thalami*, *ſpecus*, *ſinus*, *antra*, ſed communi nomine *ventriculi* dicuntur, habéntque ſingulæ tantam cavitatem, ut *quatuor* vel 5. *cochlearia cruoris* contineant: *ventriculus dexter* amplior eſt, ſed brevior conum cordis non attingens, *ſiniſter* verò anguſtior, ſed longior ad finem cuſpidis uſque extenſus.

*Dirimit* cordis ventriculos interſtitium quoddam carnoſum, aliis *diaphragma cordis*, vulgò verò *ſeptum medium* dictum cavernulis plenum, non verò rectis, ſed planè anfractuoſis, extremos illo-

rum

rum fines, quo penetrent *ſtylo aſſequi* non licet; quare illos nullo modo *pervios* eſſe putamus; ex hoc enim antiquorum patet error, qui per ejus *poros latiores* ſanguinem è dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum tranſmeare ſcripſerunt; probat ſententiam noſtram *vas illud medium*, quod arteriam pulmonalem cum Aorta conjungit; & *foramen ovale* in cordis baſi conſtructum, quæ provida natura in fætibus fruſtra condidiſſet, ſi nempe ſanguis per *ſepti medii poros* è dextro in ſiniſtrum cordis ventriculum commeare potuiſſet: Hoc *foramen ovale* in fœtu amplum eſt, in adultis verò intra paucas hebdomadas *coaleſcit, & ita aboletur*, ut nullum ejus veſtigium uſpiam appareat; *patulum* verò reperitur in *anatibus*, *caſtoribus*, *lutris* aliisque Amphibiis animalibus, quæ diu in & ſub aquis ſine reſpiratione degunt.

## §. 10.

### *De Venis & Arteriis Cordis communibus atque valvulis.*

UTrique ventriculo cordis implantata eſt vena & Arteria admodùm ampla propter inſignem uſum, qui toti corpori exinde præſtatur; implantantur verò *vena cava, & vena pulmonalis, illa dextro, hæc verò ſiniſtro* cordis ventriculo mediantibus certis burſulis, quæ utrique cordis ventriculo ad latus venarum ſuperiùs adjacent, & *oſtiaria ſive auriculæ cordis* nominantur.

Igitur dextro Cordis ventriculo inſeritur *vena cava* ab amplitudine cava dicta; quæ *maximum* totius corporis vas membranoſum eſt; tunicâ ſimplici & molli conſtans; per hoc vas proùt omnia flumina aquam in mare, ita omnes corporis venæ ſanguinem cordi referendum affundunt, dividitur hæc vena duobus ab inſertione digitis transverſis in ramum *ſuperiorem & inferiorem*, quorum ille ſanguinem *à partibus ſuperioribus;* hic ab inferioribus apportat, tum in *unum ramum* coeuntes ſimul omnis in cor ſanguis infunditur: verùm *cordis* orificio circa inſertionem venæ cavæ *circulus membranaceus* adnatus eſt, qui ſtatim diviſus *tres valvulas membranoſas* introrſum ſpectantes *tricuſpidales* etiam dictas efformat, & hæc valvula *liberum* auriculâ dextrâ contractâ, ſanguini in cordis

ven-

ventriculum dextrum atque per *diaſtolem* dilatatum *ingreſſum* concedit; ſed mox ventriculo per ſiſtolem contracto retrogreſſum in auriculam dextram impedit, quare dextrâ cordis cavitate contractâ nitenti cruori exitus datur, & ſanguis per *arteriam pulmonalem* ope trium valvularum *ſigmoidum* ab intra foras ſpectantium in ipſos pulmones propellitur. Hoc probant *ligaturæ*, *figura*, *ſitus valvularum*, *injectiones &c.* retroceſſus verò ſanguinis à pulmonibus in dextram cordis cavitatem, obſtantibus in orificio *arteriæ* pulmonalis *valvulis ſigmoideis* à figura litteræ græcæ Σ ſic dictis impeditur; per hanc igitur *arteriam pulmonalem* cruor in dextram ſiniſtrámque *pulmonum* partem è dextro cordis ventriculo vi *ſiſtole* largiter effunditur, & exinde in ramulos *venæ pulmonalis;* qui in pulmonibus per Anaſtomoſim ramulis *arteriæ pulmonaris* ſunt juncti, cùm æquè hi per omnes pulmonum lobos inſtar tenuiſſimi retis ſint diſperſi; & hic ſanguis primò ad *auriculam cordis ſiniſtram*, & hâc contractâ cruor iſte ad ipſum *cordis ventriculum ſiniſtrum* ope motûs cordis *diaſtole & valvularum duarum Mytralium foras intrò* ſpectantium protruditur; & hæ valvulæ Mytrales æquè retrogreſſum ſanguinis in *venam pulmonalem* vi illarum ſtructurâ impediunt; quare tum per motum *ſiſtolem* fortiter nempe *contracto ſiniſtro cordis ventriculo* nitenti in egreſſum ſanguini, ope rurſum *trium valvularum ſemilunarium* ab intro foras ſpectantium aperta via in aortam ſive in arteriam magnam datur, ſicque per vas maximum, ſanguis in omnes & ſingulas corporis partes per fortiſſimum cordis motum *ſyſtolem* dictum propellitur.

*Sic* itaque *per venas* omnis ſanguis revehitur *ad cor*, & *ex corde* rurſum per *arterias* in ſingulas corporis partes *idem cruor* propulſatur; unde *circulatio ſanguinis exoritur*, cujus inventi immortali gloriâ lucet Harvæi nomen, quod ad oculum demonſtratur.

## §. II.

### *De Auriculis cordis.*

CIrca baſim cordis obſervantur utrinque appendices, quæ *auriculæ* dicuntur; deſcribuntur ab Hypocrat. dicente: *Verùm juxta vaſorum exortum cordis ventriculis incumbunt,*

*bunt*, *corpora mollia*, *cavernoſa*, quæ vocantur *auriculæ*, vocantur autem & ita ſecundùm Galen. Lib. 6. de uſu partium Cap. 4. non quidem *ab officio aut functione* aliqua, *ſed à levi ſimilitudine*, quia cordi utrinque adjacent, ſicut capitibus animalium aures; ſunt autem auriculæ *corpora nervoſa*, *fibroſa*, *carnea*, & *muſculoſa cavitate avellaneam excipientes ac figurâ marſupium referentes*. Duplici fibrarum ſerie contractiles multis fortibúsque nervis ex octavo pari ſecundùm Willis dotata & *hi nervorum ſurculi* etiam cordis parenchyma ingrediuntur, *dextra auricula*, quæ oſtio venæ cavæ adhæret *major*, *tenuior & mollior eſt ſiniſtrâ*, quæ ad oſtium venæ pulmonalis ſita, & *ea eſt minor & craſſior*, *interna* illarum ſuperficies ſuperficiei ventriculorum cordis ſimilis eſt, *externa* verò in auricularum *dilatatione* æqualis, in *conſtrictione* verò inæqualis eſt, habent *contrarium* cum corde motum, cùm verò cordis ventriculi per *diaſtolen dilatantur*, illo momento auriculæ per *ſiſtolen coarctantur*, ventriculis cordis verò per *ſyſtolen contractis*, auriculæ per *diaſtolen dilatantur*.

*Uſus* auricularum eſt *ſanguinem aliquo modo cum chylo commiſcere*, ſed *primariò illum detinere*, ne ſubitaneâ & nimiâ in cor irruptione illud ſuffocetur.

## §. 12.

### *De Uſu cordis & ſanguificatione.*

USus verò cordis primarius eſt, ut *ſit motûs ſanginis progreſſivi neceſſarium organon*, ſicque una cum arteriis circulationis ſanguinis, quo mediante is ad omnes totius corporis partes pro earundem nutritione propellitur, *inſtrumentum:* Cùm verò ſanguificatio ſit *actio ſimilaris*, quæ in ſola *actione* & *reactione* particularum ſalino-acidarum & alcalino ſulphurearum, ſicque Homo-& Heterogenearum in maſſa rubra contentarum vi continui motûs circulatorii, principaliter verò concurrente ſpiritu *Aereo- nitroſo puriori* in pulmonibus maſſæ ſanguineæ communicato, conſiſtat; hinc cor *ſecundariò* ob ſui contractionem & particularum intimiorem commixtionem *ſanguificare*, ſeu potiùs præ reliquibus viſceribus *maximè ad*

*ſanguificationem contribuere* dici poteſt; quam ſententiam Clariſſ. Bœrhaſſen, Wiliſſius, Mortonus, Carolus Muſitanus, Helfritius Juncken & Verhayen, ferméque omnes recentiorum Authorum confirmant; Probatur etiam *rationibus*, quia primò nec *vis ſpecialis*, aut *flamula cordis vitalis*, aut *fermentum cordis ſanguificans* nullo modo in corde conſiſtere, & demonſtrari poteſt.

Secundò neque illa ad ſanguificationem *mora in corde ſufficiens*, aut *notabilis* in ſanguine *mutatio* ibidem deprehenditur, cùm non in *cordis ventriculis*, ſed in *pulmonibus* ſanguis *coccineum illum colorem* cum *ſpumeſcentia* acquirat, & hoc Autopſia probat; Quare Chylus in ſtomacho ex alimentis reſolutis confectus, hinc in inteſtino duodeno *mediante bile* ex una parte, ex altera verò affluente *ſucco pancreatico* magìs attenuatus, & quaſi imbalſamatus, dein per venas lacteas primi generis ad glandulam magnam Meſenterii (modò jam *chylus dictus*) deportatus, ubi affluente per vaſa lymphatica copioſâ lymphâ ulteriúsque dilutus ac fluxilis redditus, à qua dein glandula rurſum per venas lacteas ſecundi generis ad *ipſam Cyſternam*, *ſeu receptaculum chyli* deductus abhinc vi motûs & affluxu continuò mediantibúsque valvulis *surſum ſpectantibus* ac deſcenſum impedientibus per ductum thoracicum ad *venam ſubclaviam ſiniſtram* detruditur, inibíque ſanguini ſeu cruori rubicundo infuſus, mox â colore albo in *rubicundum* primò mutatur, tum verò vi circulationis motûſque ſanguinis continui *cruori magìs ſubigitur*, *reſolvitur & attenuatur* unde & idem chylus jam jam cruori commixtus à *vena ſubclavia ad & per* venam cavam in *dextram cordis auriculam* delatus, inibi ob conquaſſationem magìs mixtus, tum in *dextro cordis ventriculo* mediantibus ſpiritibus vitalibus per nervos delatis & fortiſſimo motu cordis ſyſtolen *totus rarefactus & attenuatus* inſuper mox per *arteriam pulmonalem* in glanduloſo veſiculoſam pulmonum ſubſtantiam, & per minutiſſimos ejus receſſus propellitur, ac inibi ſubtiliſſimis *aëreo-nitroſis* particulis copioſè imbutus adeò *diſcerpitur*, & *volatiliſatur*, ut in *rubicundiſſimum coccineum* & *ſpumeſcentem evadat cruorem*, quare demùm per venam pulmonalem ad *auriculam cordis ſiniſtram* abhinc verò ad *ſiniſtrum cordis ventriculum* deportatur, ut rurſum hæ particulæ chyloſæ *diſcerptæ & reſolutæ* perfectiſſimè in cavitate cordis *uniantur*, & dein per fortiſſimum *ſyſtoles motum* per *ar-*

*teriam*

*teriam magnam* in omnes corporis partes impellatur, pro earundem nutritione, ac deperditæ carnis ſubſtantiæ reſtauratione.

*Adde*, quòd ſanguinis color rubicundus non vi cujusdam exigentiæ naturalis, ſed per accidens contingat, quatenùs particulæ chyloſæ vi *lymphæ difluentis* ac *motûs continui attenuantis*, præcipuè verò ſpiritûs *aëreo-nitroſi* in pulmonibus communicati *volatiliſantis*, adeò attenuantur ac volatiliſantur, ut ſalino-acido volatiles, & alcalino-ſulphureæ particulæ invicem intimè commixtæ reſolutæ ac volatiliſatæ *neceſſariò hujuſcemodi colorem rubicundum* acquirant, prout & extra corpus humanum hoc experimentum ad oculum per chymiam demonſtratur, dum nempe particulæ *alcalino-ſulphureæ ac ſalino-acidæ* invicem mixtæ per digeſtionem reſolutæ, tum in convenienti liquore, *oleo*, vel *ſpiritu vini* coctæ hinc volatiles redditæ rubicundiſſimo ſemper ſuperbiunt colore, pro ut in præparatione Balſami ſæpiùs contingit.

## §. 13.

### *De Circulatione ſanguinis in fœtu Utero incluſo.*

SUnt autem porro in fœtu adhucdum utero incluſo circa cordis uſum & vaſorum cohærentiam, hinc ſanguinis circulationem, quæ propter reſpirationis fætui denegatum uſum, *viâ ordinariâ* per pulmonum ſubſtantiam (quatenùs nempe *hîc non inflantur* & *dilatantur*) perfici nequit, adhuc aliqua notanda; dantur enim *viæ particulares*, per quas ſanguis à pulmonibus declinando, è venâ cava per *foramen ovale* in venam pulmonalem, & ab arteriâ pulmonali *per Canalem* arterioſum ſeu *vas breve arterioſum* dictum in aortam tranſmigrat.

*Foramen verò ovale* ſitum eſt in venæ cavæ trunco inferiori, & exſurgit immediatè ante tuberculum, quod diviſioni venæ cavæ adjacet, tenditque in *venam pulmonariam*, ac hiat in illam omnino propè ventriculum cordis ſiniſtrum, in quem ſuum ſanguinem infundit; habétque ibidem quamdam membranulam *inſtar valvulæ* appenſam, quæ ſanguinis egreſſum impedit, & poſt nativitatem *concreſcit*; ſicque foramen ovale ſimul concludit; Uſus iſtius foraminis eſt, *ſanguinem in fœtu à partibus inferioribus*

*ribus advenientem* è venâ cavâ immediatè ad *venam pulmonariam* & ab hinc ad *ſiniſtrum cordis ventriculum* tranſmittere; truncus venæ cavæ verò ſuperior ſanguinem à ſuperioribus partibus adventantem per venam cavam ad *dextram auriculam*, hincque ad *dextrum cordis ventriculum* mandat.

*Ille autem ſanguis* in dextro cordis ventriculo contentus mediante cordis contractione non *per arteriam pulmonalem* in pulmones; ſed *per vas breve arterioſum* ad *ipſum aortæ truncum deſcendentem* propellitur, à quo unacum ſanguine in ſiniſtro cordis ventriculo contento atque expulſo in omnes fœtûs partes per fortiſſimum ſyſtoles motum ejaculatur; tum denuò pars ſanguinis etiam *per arterias umbilicales* excurrit ad *epar uterinum*, & chylo ibidem imbuta *per venam umbilicalem* rurſum revehitur versùs epar hinc *in Cor* fœtûs (licèt pauca etiam quantitas per arteriam pulmonalem *ad ipſos pulmones* pro eorum nutritione deportetur) poſt *nativitatem fœtûs* verò, liberâ jam reſpiratione acquiſitâ, hinc pulmonibus expanſis atque dilatatis ſanguis viam liberiorem per pulmones inſequens *hos ductus deſerit*, atque latera & *foraminis ovalis* & *vaſis brevis arterioſi* concidunt, ac cum tempore ita coaleſcunt, ut dein *per modum ligamenti* vaſa umbilicalia concreſcant hinc *foramen ovale*, & *vas breve* ſive tubulus arterioſus imperforati permaneant.

## §. 14.

### *De Pulmonibus.*

PRovida natura Cordi, utpote Principali corporis noſtri parti *cuſtodiâ ac tutelâ* prudentiſſimè proſpiciendo, illud in pulmonibus tanquam *circumvallationis* munimento incluſit; quare ordine deſcriptionis noſtræ anatomicæ aggrediemur modò *pulmonem*, qui græcis πνεύμων, à verbo πνέω, id eſt, *reſpiro* dictus fuit, hoc parenchima ſeu viſcus ſanè omnibus animantibus, aerem inſpirantibus à natura datum fuit, quoniam membrum ad conſervandam vitam maximè eſt neceſſarium, quo nullus homo absque *vitæ extinctione* carere poteſt, quia nempe ſine pulmonis organo artificioſiſſimè à ſummo Protaplaſtâ Deo conſtructo,

ſtructo, *nec reſpirare, nec vocem ſonoram proferre*, nec *opus circulationis ſanguinis* in jam natis perfici poterit.

Eſt autem pulmo *parenchima ex plurimorum vaſorum propaginibus*, aſperæ ſcilicet arteriæ, item arteriæ pulmonalis, & venæ pulmonalis, plurimorúmque vaſorum lymphaticorum ſurculis & fibrarum nervoſarum tenuiſſimis filamentis mirificè inter ſeſe contextis ac tandem in veſiculas innumeras racematim cohærentes deſinentibus conſtans, cavitatem thoracis pro maxima parte replens, cor totum amplectens, ut *ſit proximum reſpirationis hinc vocis in genere edendæ organon & inſtrumentum.*

*Situs eſt pulmo* in pectoris vel thoracis cavitate, magnitudinem habet inſignem, & in aeris inſpiratione *ita diſtenditur*, ut fermè totam pectoris cavitatem repleat. Connectitur ſuperiùs *faucibus & collo* per aſperam arteriam, poſteriùs *vertebris* anteriùs *ſterno* per mediaſtinum; aliquando etiam ad latera adhæret *membranæ pleuræ* per quosdam fibroſos nexus, imò non ſemel alterutrum latus totum pleuræ annexum obſervatur, germanicè **Die Lungel iſt ihme angewachſen/** cùm tamen vix aliqua reſpirationis difficultas obſervetur.

Dividitur pulmo in partem dextram & ſiniſtram beneficio *mediaſtini intercedentis*, quæ partes lobi majores dicuntur, hinc de pulmonibus in plurali numero plerumque loquuntur Authores. Uterque Lobus major iterum dividitur in duos vel tres aliquando etiam quatuor Lobulos per quaſdam fiſſuras, quæ margine anteriori versùs poſteriora excurrunt, hæ autem *fiſſuræ* ſubſtantiam pulmonum *raro in homine* per totum ſcindunt, aut transverſum dividunt.

*Pulmones inflati* & ſeorſim ſpectati referunt figuram *ungulæ caballinæ*, conjunctim verò & ſimul conſiderati *ungulam bubulam* perfectè repræſentant, quippe pulmo à parte exteriori *gibbus*, ab interiori verò *cavus* eſt.

Subſtantia pulmonum *tenera & rara dicitur* ab Hypoc. Lib. 4. de morbis textu 31. raritas verò illa ſimilis eſt *lanæ carptæ*, vel qualis *ſpongiæ* eſſe ſolet, dum enim ſpongia in ſe imbibit humo-

 rem,

rem, tunc omnes ejus etiam minimi receſſus & poruli adimplentur, ſic quoque dum ſanguine aëréque diſtenduntur pulmones, & inflantur, in ipſis parilli modo contingit.

*Verùm Mauritius* textu quarto de veteri Medicina clariùs pulmonum ſubſtantiam intuens inquiebat: pulmonum ſubſtantiam *aggregatum quid eſſe ex leviſſimis & tenuſſimis membranis, quæ extenſæ & ſinuatæ infinitas fermè veſiculas orbiculares*, ac *ſinuoſas cellulas, proût in favis apum alveolis cernere licet, efforment.*

*Quare* accuratiſſimus pulmonum Scrutator Marcellus Malpigius pulmonum corpus *meram veſicularum congeriem eſſe* affirmat, quod etiam ratio comprobat, ſupernatant enim pulmones in aquis inſtar *inflatarum veſicularum*, cum cæteræ partes carnoſæ mox ſubmergentur, unde conſtat, pulmones undique *aëre turgeſcere*, eorúmque in veſiculis aërem incluſum eſſe, aliàs expanſio illa & ſupernatatio in aquis fieri non poſſet:

*Ulteriùs* autem pergit præmemoratus Author his verbis pulmonum deſcribendo ſubſtantiam, *poſt lobos occurrunt obſervanda quædam interſtitia*, quæ non undequaque *nudæ cavitates*, aut intercepta *inania ſpatiola* ſunt, plures enim habent extenſas membranas, quæ non tantùm ab extrema ſuperficie lobulorum lateraliter poſitorum, verùm etiam ab interna lobulorum ſubſtantia propagantur, & modò *Parallelas*, modò *angulares* faciunt *lineas*, quæ rurſum mediantibus aliis vaſis minimis à lobulis egreſſis, atque in oppoſitas membranulas ingredientes, *orbiculare quid;* id eſt *veſiculas* efformant; in hiſce *recipitur & ejicitur aër*, veluti in amplioribus ſinubus, quæ verò veſiculæ mutuam inter ſe habent communionem & racematim invicem adhærent, ut ſic aër ab unâ in alteram comprimi poſſit veſiculam, ita ut interſtitia ſint *eædem membranulæ veſiculas* conſtituentes in pulmonibus; quæ tamen diaphanæ & tenuiſſimæ obſervantur:

*Sunt igitur* omnes veſiculæ cum interiori tracheæ & bronchiorum tunicâ continuæ, atque hinc ex aſpera arteria in bronchia, & ex his in veſiculas *patens eſt via*, in illas aërem ultro citróque commeantem tranſmittens, ſed annè veſiculæ ita ſint diſpoſitæ, ut ab una parte aër ingrediatur per alteram verò egrediatur, vel

per

per eandem viam aër in qualibet veſicula remeet, vel annè aliquæ dentur veſiculæ, quæ aërem aliquamdiu retineant, & reſervent, *exactè diſcerni* nequit, ſaltem quòd totus inſpiratus aër *non illico* exprimetur, ſed in veſiculis & cavitatibus eorum aliquamdiu pars illius *retineatur*, docent & canum vivorum & hominum mortuorum aperti pulmones, in quibus adhuc dum ſemper *plurimum aëris continetur*, qui manuum preſſione exprimi poteſt.

Eſt igitur pulmo *aëris ſedes ſeu habitaculum*; ſed hæc pulmonum ſubſtantia aliquantulum rubicundior & ſolidior eſt in *Embryonibus*, quàm in *adultis*, & *in illis aquis imerſa* propter aëris abſentiam *ſubſidet*, poſtquàm enim in lucem editus eſt infans, & reſpirare cæpit, mox veſiculæ inflantur & dilatantur, ſicque pulmones moventur, unde ſanguis in pulmonibus ab aëre reciproco inflante *ſpumeſcit*, & eorum ſubſtantia ob pororum dilatationem *lævis rariórque* evadit, hîc ergo aër in veſiculis contentus, *præter mollitiem*, quam pulmonibus confert, etiam ſummè neceſſarius eſſe videtur, nempe ne *vaſcula ſanguifera* pondere premantur, ſed *permeabilia* maneant, ut in iiſdem unacum ſanguine contentus chylus, qui in dextro cordis ventriculo valde attenuatus fuit, inſupérque mediante ſpiritu aëreo nitroſo (qui verè *magnale mundi* vocari poteſt) in minutiſſimas atomos ſeu particulas diſcerpatur, ac ſanguini *intimè* commiſceatur, tum per venam pulmonalem ad ſiniſtrum cordis ventriculum delatus, unacum ſanguine ad omnes totius corporis partes ejaculetur pro earundem *congrua nutritione*, deperditíque in ſingulis corporis partibus reſtauratione.

## §. 15.

### *De Membrana pulmones cingente.*

POrro dicta hæc veſiculoſa pulmonum ſubſtantia extrinſecus veſtitur *membranâ tenui, lævi & plurimis poris inſignibus pervia*, nec ſolùm *tenuiori* ſed & *craſſiori* ac purulentæ materiæ tranſitum *foras introrſum* concedens, quod probatur per *injectiones amaras* in vulneratis thoracis cavitati intruſas; quod ſapor ipſe amarus in *ore patientum* percipiatur, ab

*intrò*

*intrò verò foras* nec aëri quidem exitum *in thoracis cavitatem* permittens, & id ob pororum membranæ figurationem *per modum valvularum foras intrò ſpectantium* ſe habentem contingit; Unde & Riolani dubium tollitur; qui in pulmonibus circulantem ſanguinem ob violentos motus per hujus membranæ poros in thoracis cavitatem exſtillaturum putabat.

Secundò quoque obſtat, quòd pori membranæ pulmones cingentes non cum *vaſorum ſanguiferorum* ſed bronchiorum extremitatibus *continuitatem* habeant, hinc ni *halices valvuloſæ* arctiſſimè opponerentur, facillimè aër totus *in thoracis cavitatem* elaberetur; & licèt aliquis aër *è cavitate thoracis* accensâ candelâ vulneribus oppoſitâ & difflatâ erumpere videatur, ille tamen nequaquam è *pulmonum ſubſtantiâ* elabitur, ſed *ipſiſſimus eſt aër*, qui per *vulneris aperturam* cavitatem ingreſſus, denuò per diaphragmatis & pulmonum motum *foras* expellitur.

*Vaſa pulmonum* triplicis ſunt generis nempe *aſperæ arteriæ* bronchi dictæ *arteriæ & venæ pulmonalis*, quæ in minimos & pene inviſibiles ſurculos fiſſa & inter ſeſe mixta per totam veſiculoſam ſubſtantiam inſtar artificioſiſſimi retis decurrunt, mutuiſque inter ſe *anaſtomoſibus* hiant, unde ſi ab humoris acris eroſione magnâ tuſſi, vel aliâ causâ iſtorum vaſorum apertio alicubi contingat, tunc ſanguis ex iis in *veſiculas* & ex his in *bronchia* profluens ſputo ejicitur, & *hæmophtiſin*, ac temporis progreſſu *Pthyſin* parit, unde ſæpius hoc morbo affecti *inopinâ morte* occumbunt, quia eroſis vaſis majoribus nimiùmque effuſo ſanguine cor obruitur, ac ſuffocatur: habent inſuper & plurima vaſa lymphatica, & nervos pulmones.

## §. 16.

### *De Officio & Uſu pulmonum.*

U*Sus* pulmonum eſt ſecundùm Hypocrat lib. de corde, textu quarto *cor munire*, quare tutelæ & cuſtodiæ gratia illud pulmones quaſi *circumvallationis munimento* includunt, inſuper ſecundùm eundem Auctorem, & Galenum, Celſum, & fermè omnes alios, primarius pulmonum uſus eſſe credebatur, ut *me-*

*mediante frigidioris auræ inſpiratione* continuò factâ *cordis quaſi incendium*, & calidum ſanguinis flumen pulmones permeans refrigeretur, quatenùs nempe frigidus attractus aër per aſperam arteriam omnes pulmonum receſſus ingrediens, inibi ſanguinem in vaſis contentum refrigeret, ac ejuſdem calorem ventillet, hoc autem ita fieri ideò opinabantur; quia nempe pulmones *ab aëre frigido* inſpirato diſtenduntur, atque ſimul thorax, ut ſpatium ſatis amplum concedat pulmonibus, mediantibus muſculis pectoralibus dilatatur, *quam dilatationem*, quum reliquæ partes in tali ſtatu permanere nequeant, excipiat *conſtrictio*, ſeu *coarctatio*, per quam aër inſpiratus & *jam jam calidior*, ac quaſi ineptus redditus exſpiretur, novúsque denuò per inſpirationem hauriatur.

Verùm enim verò ex mirâ pulmonum fabricâ, & propter in- & exſpirationem aëreis, & continuâ pulmonum mobilitate certè patet, uſum eorundem primarium in *ſanguinem chyloſum eſſe* particulas enim in ſanguine chyloſas vi cordis per arteriam pulmonalem in pulmones trajectas; hîc mediante *ſpiritu aëreo-nitroſo ſubtiliſſimo* vi motûs veſicularum in inflato pulmone *à contactu liberarum*, in collapſo *plurimâ ſuperficie* ſeſe contingentium, hinc arterioſos & venoſos (atque in illis contentum ſanguinem particulis chyloſis turgidum) *plexus reciprocè premunt*, ſubtilem cruori aëreo-nitroſum ſpiritum (ut plerique volunt) *immiſcent;* proin particulas chyloſas unacum ſanguine *conquaſſant*, *atterunt*, *reſolvunt*, *immutant*, *diſcerpunt*, *volatiliſant;* hinc canalibus trajiciundis adaptant; atque ſic in fluidorum & ſolidorum humani corporis partes & formas immutandi aptiſſimos faciunt: In pulmonibus igitur chylus *accuratiſſimè ſanguini* commiſcetur; hîc lymphâ diluitur, hîc formâ pro nutrimento cunctis corporis partibus apta induitur, hîc in fluore & calore chylus conſervatur, hîc color *rubicundus* coccineus & ſpumeſcentia ei conciliatur: ergò uſus pulmonum in corpore ſano *majoris eſt momenti*, quàm refrigerii cordis & ſanguinis, dum in ſtatu ſano cuncta *temperatè* procedunt, nec *ullo refrigerio* indigeant, ratio eſt, quia omnis cruor ſive ſanguis chylo in vena ſubclavia imbutus ſtatim mediante venâ cavâ in cordis dextrum ventriculum, & nullâ quaſi morâ inibi habitâ, *primò totus quantus* per munitiſſimos pulmonum receſſus & miros in illis arteriarum venarúmque plexus fertur,

dein reliqua viſcera *diviſus* tranſit, hinc in pulmonibus *chyli intima mixtio in ſanguinem* & prævia in nutrimentum bonum præparatio contingit; *ergò in pulmonibus vera eſt officina ſanguinis*, & hoc ex data ſanguinis chyloſi *maſſâ*, ex datâ pulmonum *mirâ fabrica*, & in illis obſervata cruoris *immutatione*, & ſummâ rubedinis *exaltatione*, ex data totius ſanguinis mox chylo imbuti è dextro cordis ventriculo in pulmones *propulſione*, ex data *aëris inſpirati fluidi & elaſtici* per vaſa trachealia in vaſa ſanguifera tranſmiſſione, quaſi evidenter conſequitur.

Alter pulmonum uſus eſt, ut mediante *aëris expulſione* in genere materia voci edendæ apta ſuppeditetur: ſcimus utique *vocem articulatam* per varias aëris exſpirati ad laryngem & fauces *factas refractiones* & *alliſiones*, hinc variâ factâ linguæ *moderatione* in ſpecie produci & efformari, deficiente verò hoc aëre, tanquam generali & primâ vocis materiâ, *edere vocem ſonoram* nec ullum animal poterit; Quam ob rem Hypoc. Lib. 4. de corde textu 30. ait: *è pulmone vocem edimus*, & hoc probant cuncta animalia pulmonibus carentia, quæ ſingula voce privata deſtitutáque deprehenduntur.

Ad tertium pulmonum uſum quod attinet, ubi Antiqui ex hauſto in pulmonibus aëre, *ſpirituum vitalium* generationem fieri volunt; illud haud adeò *à veritatis ſcopo* aberratum eſſe, ſaltem mihi videtur; modò non *immediatè ex aëre*, ſed *mediante illo* & particularum in ſanguine ſalino-ſulphurearum, ac per circulationem *ſummè exaltatarum* id fieri concipiatur. Docet nos idem magnus Chymiæ Magiſter Johannes Baptiſta von Helmont, dum ⊖ 🜿*ri fixi* in ⊖ 🜿*ri volatile* immutationem per ignis blandam circulationem & maximè ope *ſpiritûs athomſphærici aëris* nempe *nitroſi* id fieri clarè demonſtatur.

## §. 17.

### *De Aſpera Arteria.*

ORi & faucibus annectuntur pulmones mediante *aſperâ arteriâ*, aliis etiam *fiſtula ſive canna pulmonum* dicta: Veteribus ideò aſpera arteria nominata, quia primò per

per hanc aër in pulmonum ſubſtantiam, proùt per arterias ſanguis in omnes corporis partes deportatur, *ſecundò aſpera* autem propter *inæqualitatem cardilaginum* & ad aliarum lævium arteriarum differentiam nuncupata fuit, & hæc *eſt canalis*, per quem ab ore & faucibus *aër ad pulmones* deſcendit, eósque plurimis ramis ingreditur, per quas inſpiratus aër hauritur, & in minutiſſimos pulmonum receſſus diſpergitur, & idem rurſum aër condenſatus per *eandem fiſtulam* foras redditur, ut ſanguis propter inſpirationem in pulmonibus *liberè circulari, & vox ſonora per exſpirationem* produci, aliáque è pulmonibus excrementa *forti auræ exploſione* eliminari poſſint.

Porro dividitur aſpera arteria ſeu trachea *in laryngem ſeu caput ejus*, & in *bronchum* ſive continuatam ejus productionem, ſita eſt in anteriore colli parte æſophago incumbens, & ſic ab ore ad pulmones deſcendens, ad quartam thoracis vertebram in duos ramos dividitur, quorum uterque ſui lateris pulmonem ingreditur, inibi rurſum uterque in duos ramos ſubdividitur, & hi iterum in alios, donec tandem in minutiſſimos, & innumeros ramulos inter arteriæ & venæ pulmonariæ radices diſperſos, tandem in *veſiculas patentes* & ſic in pulmonum ſuperficiem deſinant. Appellantur hi rami quousque majuſculi ſunt, *bronchia*, magnitudo eorum variat, nempe pro ætatis, ſexûs, & temperamenti varietate.

Componitur *aſpera arteria* plurimis annulis *cardilagineis*, qui inter ſe ſuperficie tenùs ſunt colligati, & primò ne *concidat*, ſed ad aëris liberam reciprocationem *perpetuò aperta* ſervetur; ſecundò ut *contrahi & laxari poſſit hæc arteria*, quæ igitur memoratis annulis uno ſuper alterum poſitis artificioſiſſimè mediante membranâ manifeſtè carnoſâ adinvicem alligatis, *fiſtulam formaliter* repræſentat; conſtant, ùt diximus, annuli iſti ex *cardilagine*, quæ verò non integrum circulum, ſed paulò plùs quàm *ſemi-circulum* efformant, quatenùs in *parte poſteriore*, quâ æſophagum tangunt, *quarta circuli* pars ex cardilagine deeſt, cujus loco *membranoſa cernitur ſubſtantia*, ideò ne in deglutione boli majoris æſophagi dilatatio *corporis durioris incubitu* impediatur, dum verò truncus aſperæ arteriæ in plurimos ramulos ſubdiviſus, & pulmonum parenchyma ingreſſus eſt, tunc ramulorum annuli haud *ampliùs ſemilunares* ſunt, ſicut in ſuperiore

parte, ſed variis figuris formati, nempe *rotundi*, *quadrati*, & *triangulares*, & quo profundiùs Parenchyma ingrediuntur, eò magìs *membranoſi*, minùsque duri fiunt arteriis venisque ſimiles, atque veſiculis pulmonum continui ſunt.

*Obducitur aſpera arteria* duplici membranâ, unâ externa, quæ *tenuis eſt*, & à pleura provenit, arctéque cohæret cum cardilaginum intermediis ligamentis, alterâ internâ, quæ *craſſior, & denſior palatóque continua eſt*, ſensúque tamen exquiſito ad moleſtorum perceptionem prædita, ne verò continua in- & exſpiratione aëris exſiccetur; natura obliniit *tenui, ſed unctuoſo humore*, quo à particulis aëris acrioribus, aut catharri ſeroſitatibus ſalſis abraſo, *vox rauca*, à nimio autem calore ùt in febribus exſiccato, *clangoſa* editur.

*Arterias* trachea *à Carotidibus*, venas *à jugularibus* externis, nervos verò *à recurrentibus* ſexti paris habet.

*Uſus* primus eſt, ut *in inſpiratione per illam fiſtulam aër*, quo mediante particulæ chyloſæ ſanguini intimè commiſceantur, *à pulmonibus recipiatur*, veſiculæ pulmonum inflentur, pulmones dilatentur, hinc ſanguis liberrimè per illos ab uno ad alterum cordis ventriculum circulare poſſit.

Secundus ejus *uſus* plurimùm *ad edendam vocem facit*, unde ab Hypocrate *organon vocale* dicitur.

*Tertiò* ut mediante exſpiratione per illam cannulam vi aëris fortiter expulſi *plurima è pulmonibus excrementa* puta in catharris & Pthyſicis per os excernantur, & ſic è corpore eliminentur.

## §. 19.
## *De Collo.*

COllum *appendix eſt medii ventris*, ſeu pars illa media oblonga & rotunda, quæ inter faciem & thoracem cernitur, aliis etiam *capitis ſuſtentaculum* dictum; nominis derivatio à *colendo* deſumpta fuit, quia coli, id *eſt auro gemmiſque exornari ſolet*, ut plerumque in mulieribus patet; collum oblongum eſt, ob vocis modulationem, cùm nullum animal *collo carens vocem fortem ac modulatam* proferre poſſit. Dividitur in

in partem *anteriorem*, ubi aſpera arteria unacum muſculis eſt, & *poſteriorem*, quæ propriè *cervix* nuncupatur; habet partes externas continentes ſeu communes, quæ ſunt *cuticula*, *cutis*, *panniculus carnoſus*, & internas contentas ſive proprias; & hæ ſunt vaſa percurrentia, aſpera arteria cum larynge, æſophagus cum gulâ, cardilagines & proprii utriusque muſculi.

## §. 20.

### *De Larynge cum Cardilaginibus.*

POſt deſcriptionem aſperæ arteriæ in §. 18. factam, ad ejus *caput laryngem* ordine devenimus. Eſt ergo *larynx caput aſperæ arteriæ* in viris magis quàm in fæminis protuberans, ſitus ejus eſt in medio colli ob commoditatem in edenda vocis actione, figuram habet fermè circularem, *anticâ parte extuberantem*, poſticâ non nihil depreſſam, ut gulæ cedat in deglutione;

*Magnitudo* ejus ratione ſubſtantiæ, ætatis, & ſexûs variat, nam in juvenibus larynx *anguſtior, hinc vox acuta*, in adultioribus *amplior;* unde in pubertatem conſecutis *gravior vox evadit.*

*Laryngis partes* propriæ ſunt, *Cardilagines*, *membranæ*, *muſculi*, *glandulæ & vaſa.*

*Cardilagines* laryngis *ſunt quinque*, quæ aliquando in ſeneſcentibus oſſium inſtar indurantur, unde aliqui *ſuffocationis periculum* in patibulo declinavêre, hinc mortem evaſêre.

*Prima cardilago Tyroides ſeu ſcutiformis* vocatur, hæc intus cava, foris gibboſa eſt, prominet in virorum collis, & vulgò *pomum adami* dicitur, in medio diſtinguitur lineâ, hinc aliquibus duplex hæc cardilago credita fuit, in angulis ſuis proceſſus habet, ſuperiùs duos longiores, quibus *oſſi hyoidi* ſed ligamenti interventu jungitur, inferiùs quoque duos habet proceſſus, per quos cardilagini inferiori adhæret.

*Secunda* Cardilago *Cricoides, ſive annularis* dicitur, ideò quia rotunda eſt annuli inſtar, quo turcæ intendendo arcum pollicem armare ſolent, hæc totam ambit laryngem, ad infima ſita ac immobilis eſt, utpote ad ſuſtinendas reliquas cardilagines comparata.

*Tertia* & quarta *Arytænoides*, *ſive gutturniformis* dictur, quia proceſſibus ſibi mutuò junctis formam *gutturnii* vel acutæ ollarum partis, quâ aquam effundimus, refert; hæc aliis unicam, ſed ſi membrana veſtiente exuitur, geminam eſſe apparebit, proùt id obſervavit Valopius & alii.

*Quinta cardilago* eſt *Epiglotis* ad radicem linguæ ſita, hæc peculiaris cardilago & mollis eſt, incumbens *glotidi* ſeu tracheæ rimulæ *folii hæderæ* inſtar, hinc germanicè **das Kleeblátl** dicta. Eſt operimentum, quâ tegitur *rimula ſive glottis*, ne inter deglutiendum cibus potúſve in aſperam arteriam delabatur; hinc veluti ſuper pontem tranſeat dum ingeratur in gulam; ſunt, qui credunt per parietes hujus rimulæ *aliquid aſperam arteriam* præſertim in affectibus thoracis per aſſumpta *ecclegmata* ac diutiùs reſupinato capite in ore detenta, *intrare*, ac inde in pulmones deſcendere, ut expectoratio promoveatur, verùm credat hoc, qui vult, nos non credimus, *aëri* nempe tantùm patet hîc aditus, ſi enim incautè manducamus, vel bibimus, aut inter riſum bibimus, & vel *minimum* per hanc rimulam in *aſperam arteriam* deſcendat, ſubitò *moleſtiſſima* exſuſcitatur *tuſſis*, non ceſſanda usquedum illapſum penitus excuſſum fuerit: quod ſi non eveniat, mors præ foribus erit. Hiſtoria Vallopii Lib. 9. Capit. 12. de Anacreonte noſtram confirmat opinionem, qui, cùm ſeniles vires ſucco uvæ paſſæ reficeret, fortè vi *unius acini glottidem ingreſſi*, ſed defectu virium non revocare aut excutere valens, ſuffocatus obiit; Item fabius ſenator in lactis hauſtu (*uno pilo* rimam ſubingreſſo) ſtrangulatus eſt:

Præſcribo equidem *tabellas*, *rotulas*, *& ecclegmata* in catarrhis & aliis pulmonum affectibus, modus autem medicamentorum operantium hic eſt, dum nempe reſupinato capite hæc diutiùs in ore detinentur, ac *lentè deglutiuntur*, *fibrillæ membranarum laryngis & glottidis* ab acrimonia medicamentorum irritantur; quæ irritatio per continuitatem fibrarum membranam æſophagi conſtituentium per conſenſum in aſperam arteriam & hinc ad ipſos usque pulmones continuatur, hinc motus fibrarum *periſtalticus adaugetur*, *membrana convellitur*, tunc & illud quod aſperæ arteriæ *moleſtum*, & in pulmonibus *infarctum eſt*, ſeparatur, ac mediante tuſſi per *irritationem* excitata, foras excutitur, at-

que

que ejicitur, adde, quod medicamine lentè deſcendente *per æſophagum* fibrillæ membranarum æſophagi æquè irritentur, hinc per conſenſum etiam *fibrillæ membranæ aſperæ arteriæ* ſimul convellantur, unde tuſſis vel ſcreatus excitatur, quo mediante *impactum* iſtiſque partibus *moleſtum* expellitur; quod hauriendo ſpirituoſos aut acidos liquores manifeſtè experimur, dum *fortes ſcreatus aut tuſſes* inde ſubitò oboriuntur.

*Interna laryngis cavitas, & externa* obvolvitur membranâ tenui, quæ ori communis & utrinque illi alligatur, ac *lento humore* perfuſa eſt.

## §. 21.

## *De Muſculis Laryngis.*

LAryngi adhærent *muſculi*, qui Cardilagines movent; hos verò ideò obtinet larynx, ut voluntario motu ad vocem pro arbitrio edendam moveatur, ſunt autem humanæ laryngis muſculi *novem, ſive quatuor paria, & unus muſculus*, aliis quintum par dictus.

*Primum* par appellatur *Cricotyroides*, in inferiori parte laryngis transverſum ſitum eſt, & à *Cardilagine tyroide* initium ſumit, implantatur in *arithenoidis latera*, quæ rimulam *glottidem* dictam efficiunt, hoc muſculorum par Cardilaginem Arithenoidem anteriora versùs trahens *rimulam claudit.*

*Secundum* par claudens glottidem *Aritenoides ſimpliciter* vocatur, quia & principium & finem in Cardilagine *Aritenoide* habet, exile admodùm eſt, & inſertione cum priori pari jungitur, fibrasque habet obliquas.

*Tertium par Crico Arithænoides poſticum* dicitur, quod ab inferiori & poſteriori cricoidis Cardilaginis ſede exoritur, & fibris ſuis rectè aſcendens in *inferiori Arithænoides* parte finitur, aperit hoc par *rimulam glottidis* latera ejus extendendo.

*Quartum Par Thyro Arithænoides laterale* vocatur, communem cum priori uſum habet, à *Cardilaginis Thyroidis* latiori parte, ſed anguſto principio exortum, mox latiùs factum, ea in parte deſinit, quæ à priori tacta non erat.

*No-*

*Nonus muſculus* ab aliis etiam quintum par dictus *Antarithenoides* dicitur, & oritur *à poſticâ guttalis linea*, & fibris transverſis delatus in ejuſdem latera inſeritur, & Arithænoidem Cardilaginem conſtringens *laryngem recto ductu claudit.*

*Larynx* ex dictis partibus conformatus eſt, ut verò in vocis prolatione commodè officio ſuo fungatur, continuâ indiget humectatione, in quem finem ei variæ adjacent *glandulæ*, quarum conſpectiores ſunt *duæ majuſculæ* ad altiorem laryngis ſedem *è lateribus uvulæ* ſitæ, quæ *tonſillæ & amygdalæ* dicuntur, porro rurſum cernuntur duæ glandulæ (& quidem utrinque una magna) inferiori laryngis regioni adjacentes, quæ *inſignes & totæ fungoſæ* ſunt, præſertim in fæminis.

*Harum* glandularum uſus eſt, *partes vicinas & laryngem humiditate ſuâ viſcosâ & pingui irrigare*, Cardilagines humectare, ſicque ad motum aptiorem reddere, vocem ſuaviorem efficere, quod immitantur ii, qui fiſtulas ad ſonum ſuaviorem efficiendum oleo inungunt.

*Vaſa* venoſa habet larynx, *à jugulari externa*, arterioſa *à carrotidis ramo majori*, nervos *vocales dictos* pro motu muſculorum, à ſexto paris ramo recurrente.

*Uſus ejus* primarius eſt, *proprium vocis articulatæ eſſe organon;* fit autem vox quatenùs aër inſpiratus motu pulmonum denuò per aſperam arteriam propellitur ad laryngem, ubi dum rimulam reliquâ parte anguſtiorem pertranſire debet, ſonum efficit, qui in faucibus ad varias partes allidens, hinc linguæ motu aliter atque aliter refractus, alteratus ac modulatus, articulatam vocem conſtituit.

Secundarius verò uſus eſt, cohibere *ſpiritum*, *quoties ejus cohibitione eſt opus*, ut in exoneratione alvi, uteri, veſicæ &c. tum ad comparandum partibus robur in ſubeundis magnis laboribus, tollendis ponderibus, aut quid tale molliendo.

§. 22.

## §. 22.

## *De Æſophago & Pharynge.*

LAryngi à poſteriori parte appenſa eſt pars, quæ ab Ariſtotele Æſophagus, latinè verò *gula* nominatur, & eſt canalis membranaceus, à faucibus in ventriculum protenſus, ut cibus & potus per eundem in ventriculum deportetur.

*Situs eſt* à parte poſteriori & membranacea aſperæ arteriæ initium habens in faucibus, & dicitur *ibi pharynx*, ubi deſcendendo versùs ventriculum circa thoracis vertebram declinando aortam paululùm dextrorſùm declinat, mox verò rurſum medium thoracis occupat, & deorſum penetrato diaphragmate ad undecimam vertebram progreſſus ſiniſtro ventriculi orificio unacum binis nervis, à ſexto pari oriundis, implantatur.

*Figuram* obtinet longam & rotundam, magnáque pollens cavitate, ita ut ampliari & concidere poſſit pro rerum exigentia.

*Tribus* conſtat *æſophagus tunicis*, duabus propriis & una communi, hæc inſigniter tenuis eſt, & in collo *à vertebris*, in thorace *à pleura*, in ventriculo *à perithonæo* orta, propriarum exterior, quæ & *tunica media* dicitur, *carnoſa* & *craſſa* eſt inſtar muſculi, rotundis transversísque fibris ſibi invicem ex oppoſito obliquè occurrentibus & decuſſatim ſe interſecantibus atque impoſitis prætexta

*Tertia* interna etiam propria, membranæ oris, palati, faciúmque continua, *tenuis*, *dura*, ac *nervoſa eſt*, ſtipatáque fibris rectis, longis, atque obliquis, quibus motus *deglutitionis* perficitur, quæ juxta Verheyen intùs *quadam cruſtâ villosâ* obducitur, totam ejus ſuperficiem veluti lanugine quadam inveſtiens.

Glandulas habet æſophagus in ſuperiori ejus parte cum larynge communes, *tonſillas ſive amygdalas* vocatas; in itinere verò circa quintam thoracis vertebram à parte poſteriori *glandulæ* inſuper *quædam* deprehenduntur in tunica carnoſa & mediâ magnitudine & figurâ *Phaſæolum* referentes, quæ humorem ſuppeditant ad humectandam cavitatem pro faciliori humorum deglutione.

*Arterias* habet æſophagus, & quidem in collo *à carotidibus internis*, in thoraci ſupra diaphragma ab *intercoſtalibus*, inter diaphragma ab *arteriæ cæliacæ ramo jugularis internæ*, in thorace ſupra ſeptum ab *azygis* & *intercoſtalibus ramis*, infrà ſeptum à ramo coronario venæ portæ. *Nervos* à ſexta Cerebri conjugatione.

Muſculi æſophagum dilatantes *ſex, vel tria ſunt paria*, ipsísque data ſunt nomina græca. Primum par vocatur *Cæphalo-Pharyngæum*, incipit eo loco ubi caput primæ cervicis vertebræ jungitur, atque amplo fibrarum plexu in tunicam Pharyngis expanditur.

*Secundum* par *ſphæno-pharyngæum* dictum ab acuto apice oſſis *ſphænoidis ſive cuneiformis* incipit, & in lateribus pharyngis circa gurgulionem finitur.

*Tertium* par *ſtylo-pharyngæum* appellatum ab *oſſis ſtyliformis acuto proceſſu* oritur, atque ad gulæ latera exporrigitur, hi ergo muſculi *dilatando pharyngem* cibis ad liberiorem ingreſſum in æſophagi canalem viam ſternunt.

Muſculus conſtringens pharyngem vulgò datur unicus, qui *ſphyncter gulæ* ſeu *æſophagæus* dicitur, Clariſſimus DD. Verheyen duplicem eſſe pronuntiat, quatenùs ab utroque ſcutiformis cardilaginis latere enatus, ſphyncteris inſtar æſophagum ambit, eúmque conſtringendo ingreſſos ob dilatationem cibos deorſum uſque ad ventriculum propellit.

*Uſus* æſophagi eſt *cibos ore aſſumptos ac maſticatos deglutire*, quæ actio præcipuè ope prædictorum muſculorum & *æſophagi fibrarum* perficitur; eſt igitur actio animalis, cùm non ſolùm mediantibus dictis inſtrumentis perficiatur, ſed & *à liberâ hominis voluntate* dependeat, deglutimus enim, quando volumus, & non aliter in ſtatu ſano & naturali.

LIBER

# LIBER III.

## *De Partibus ſupremi ventris continentibus & contentis.*

### §. I.

### *De Capite & Senſibus.*

ABſolutâ Hiſtoriâ *partium vitalium*, quæ in thorace ſive medio ventre continentur, nunc *caput ſeu ſupremum ventrem*, qui partes animales complectitur, ſeu regiam in corpore noſtro & ſublimem Palladis arcem, unde cæteræ partes reguntur, perluſtremus.

*Totum* ergo illud, quod ſupra collum ſurſum ſitum eſt, Galeno ſcribente Lib. 3. de placitis C. 8. *Caput* vocatur; habet hoc *figuram rotundam*, ſed non exactè ſphæricam, cùm ob cerebri molem homini præſertim (præ cæteris animantibus) major eſt cerebri magnitudo non nihilque *oblongum*, anteriùs ſcilicet & poſteriùs aliquantulùm *protuberans*, à lateribus verò *depreſſum*, ac pro tutiori munimento totum oſſeum eſt. Dividitur in partem *capillatam*, quæ *calvaria*, *& non capillatam*, quæ *glabra* eſt, & *facies* nuncupatur. Capillata rurſum in quinque dividitur partes, nempe in anteriorem, quæ *ſynciput* ſive etiam *bregma* dicitur, & hæc eſt illa pars cranii anterior, quæ à fronte ad *ſuturam uſque coronalem* ſe extendit, & in poſteriorem, quæ *occiput* vocatur, & eſt illa poſterior *calvariæ* pars, quæ ab initio *ſuturæ*

*Lambdoideæ* usque ad *primam cervicis vertebram* deſcendit; Media Occipitis ſive ſumma *calvariæ* pars *vertex* ab omnibus nuncupatur, denique duæ illæ partes laterales, quæ utrinque à bregmate atque inter oculos & aures ſitæ, *tempora* appellantur, quaſi nempe *ætatis & annorum tempus* ſuâ canitie, vel macilentia in nobis prodant.

## §. 2.

### *De Capillis.*

CApillata pars à capillarum ibidem luxuriantium occaſione dicta, nobis capitis pilos contemplandos objicit; qui Microſcopio conſpecti, figura *teretres*, ab aliis quadrati aut triangulares deprehenſi fuerunt, infiguntur in parte cutis carnea cuidam *globulo mucoſo* figuræ ovalis; qui pilis extractis aliquando adhæret, ſæpius verò in cute remanet, quare *alimento chyloſo* licèt plùs minùs craſſo ac viſcido reliquarum partium inſtar nutriuntur, intùs *cavi ſunt*, ùt docet effectus ille præternaturalis, qui dicitur *Plica Polonica*, in quo ſanguis ex pilorum extremitatibus exſtillat, quare pili quoad eorundem radicem *communi cum toto vitâ* fruuntur, quod pari modo de radicibus unguium & dentium dici poterit, cùm verò non ad corporis *neceſſitatem*, ſed potiùs ad ejusdem *ornatum* faciant, hinc in ſenectute ob deficiens nutrimentum omnium partium primi *albeſcunt ac decidunt*. Craſſities, tenuitas, durities & mollities ac multitudo pilorum differunt *locorum ratione;* intereſt enim, quam & qualem corporis partem & cutem nacti ſint pili, nam in craſſiore cute magnâ ex parte pili *duriores & craſſiores* ſunt, ſed in locis humidis ſunt *frequentiores & prolixiores*, modò locus ille à naturâ inſtitutus & ordinatus ſit ad habendos pilos. Alimentum etiam pilorum *colorem & ſubſtantiam* immutat, unde differunt in colore pro diverſitate alimentorum, ætatis, temperamenti, ſexûs, regionis, aëris & ſimilium &c.

*Dividuntur* pili in *congenitos* & *poſtgenitos*, congeniti vocantur, quos recèns nati ſecum ex utero afferunt, ut ſunt in capite *cæſaries*, in palpebris *cilia*, & in fronte *ſupercilia; poſt-*

*geni-*

*geniti* verò ſunt, qui ſua habent & tempora & loca, & jam in lucem editis ſuccreſcunt, ut in *utroque ſexu*, primum in regione *pubis*, deinde ſub *axillis*, tum ad *mentum in viris.*

Meritò & hîc quæritur, cur natura dederit pilis aliis *certum creſcendi terminum*, aliis *verò non*, ad primum reſpondet Galenus Lib. 11. de uſu partium Cap. 14. Uſûs gratia, hanc factam eſſe diverſitatem, quia enim *cilia & ſupercilia* eatenùs ſerviunt oculis, quatenùs eorum ſervitus nunquam nocet, ſed *decorem faciei humanæ* omni tempore conciliat, & hîc ſemper conſiſtit eadem actionis incolumitas, adeoque iſte uſus eſt perpetuus in omni ætate & conditione hominum.

*Ad* alterum membrum reſpondeo, quî licèt capilli perpetuò quidem tegere debeant, non autem in *omni ætate & conditione* æqualis integumenti eſt neceſſitas, hinc pro diverſitate ſubjectorum, requiritur pilorum multitudo, longitudo & craſſities, vel etiam contra.

*Uſus eorum* primarius eſt *defendere partes, quibus adnaſcuntur pili contra injurias*, quas pati vel â ſe ipſis vel ab aliis foris incidentibus poſſunt, ita pili ſub axillis & inguinibus cavere videntur *intertigini*, ex mutuo attritu fieri ſolitæ, ita fibriſſæ pilorum obſtare *irreptioni animalculorum*, & arcere ab oculis atomos, quæ in aëre volitant.

Secundarius uſus eſt *ad ornatum facere*, hinc Galenus ſuprà citato loco, pili circa mentum inquit, non ſolùm tegunt malas, ſed & *dignitatem* conferunt, venerabilior enim mas apparet, ſi in progreſſu ætatis undique faciem ejus pili decorent.

## §. 3.

### *De Pericranio & Perioſtio.*

CApillis ſubjacet cuticula & cutis, quæ hac in parte inſignem habet *craſſitiem*, ut externarum injuriarum vim faciliùs eludat, atque ut hîc capilli *firmiùs* ac *profundiùs* adhæreant, hîc cutis membrana *muſculoſa* & non *nervoſa* eſt, hinc ſponte naturâ mobilis eſt, de pinguedine & panniculo carnoſo haud dubiè jam alibi actum eſt.

*Igitur* ex ordine ſequuntur duæ membranæ cranium cingentes *Pericranium* nempe & *Perioſtium*, illud fibris per ſuturas cranii delatis cum *dura matre* connectitur, hoc proximè cranium tegit, atque ob nerveam ac tenuiſſimam ſubſtantiam *exquiſito ſenſu* præditum eſt, ſicut autem *perioſtium* cranio firmiter connectitur; ita etiam *Pericranio* tam exactè jungitur, ut ſimul una membrana eſſe videatur, deceptus inde eſt Fallopius, dum affirmat idem in capite eſſe *pericranium*, quod in aliis partibus ſit *perioſtium*; tranſcendit etenim pericranium *muſculos temporales*, econtra verò perioſtium *muſculos nunquam* transgreditur, hinc artificioſa ſeparatio *diverſas eſſe* membranas demonſtrat.

Hæ membranæ arterias habent *à temporalium ramo externo*, quæ ſanguinem ad caput ferunt, & cum venis ſociis per anaſtomaſes unitæ ſuperfluum in has deponunt ſanguinem, quem in *jugulares externas* tranſmittunt, à quibus in cor deportatur.

*Uſum* utriusque membranæ & vox & ſitus indigitat, eſſe *nempe ad tegendum cranium.*

## §. 4.

### *De Cranio & Suturis ejusdem.*

ABlatis membranis ſtatim oſſea capitis pars apparet, quæ *cranium* dicitur, éſtque anteriùs *globoſa & rotunda*, interiùs *concava & oſſea* pars, cerebrum ac cerebellum continens, nominis ſui derivationem à græco nomine κράνηον id eſt *galea*, habet, quatenùs *galeæ militaris* inſtar cerebrum pro munimine circumdat.

Cranium hoc in Embryone *membranaceæ* in recèns nato *cardilagineæ* videtur eſſe ſubſtantiæ, atque etiam per aliquot annos *ejusmodi mollitiem in vertice ſervat*, ut copioſa cerebri humiditas, quæ in infantibus abundat, commodiùs exhalare poſſit; *craſſities* variat, pro ætatis, ſexûs, & regionum diverſitate, ſic refert Herodotus, *Perſarum* crania valde *tenuia* & *fragilia* eſſe, ita ut facilè perforentur, Ægyptiorum verò admodùm *craſſa & firma*, ita ut vix lapidis gravioris ictu confringantur, ad hæc in delicatulis, ùt plurimùm *minor craſſities* & *durities* reperitur quàm

quàm in ruſticis aliiſque durioribus hominibus, cujus rei cauſa eſſe putatur, quòd delicatuli caput *ſemper benè tegant*, ab eóque æſtum ac omne frigus arceant, econtra verò ruſtici & milites faciunt, hinc oſſa à frigore *indurantur*, & *craſſiora evadunt*.

Conſtat cranium duabus *tabulis* & laminis, *externâ* nempe & *internâ*, quarum illa *craſſior & æqualior*, hæc verò *durior* & *multis ſulcis* exarata, ut locum concedat vaſis duram meningem perreptantibus, à qua meninge nonnulla inſignia vaſa juxta aures intrà geminas *cranii laminas* ſeſe inſinuant meditullium interjectum irrigantia, inter has tabulas mediò latet ſubſtantia quædam ſpongioſa & cavernoſa, *medullarem ſubcruentum ſuccum* ad cranij nutritionem continens, qui conficitur ex ſanguine per minimas arteriolas influente, *meditullium* hoc ſpongioſum mediò inter cranii laminas interjectum ab Anatomicis *Diploë* vocatur.

*Hoc meditullium* alibi magis, alibi minùs cernitur, nonnullis in locis *vix animandvertitur*, ubi ambæ tabulæ ſimul coire, ac cranium ſimplex ac pellucidum conſtituere videntur, & licèt cranium *unum os continuum eſſe videatur*, reverâ tamen *ex octo oſſibus* componitur, quorum primum *Anticum* ſive *os frontis* vocatur, 2. & 3. ſunt lateralia ſuperiora *ſincipitis ſive bregmatis*, quartum *poſticum*, ſive *os occipitis*, quintum & ſextum *oſſa temporum* cum proceſſu interiori & ſtyloide, ſeptimum os *ſphænoides*, ſeu *cuneiforme* cum baſi calvæ proceſſibus *ſellam equinam* referente, octavum verò *Ethmoides* ſeu *crybroſum* cum proceſſu *cryſtato* & *vomere* viſitur. Memorata oſſa diſtinguuntur ſex ſutturis; quarum tres primæ *veræ*, tres verò poſteriores *mendoſæ* dicuntur, prima eſt *ſutura ſagittalis* incipiens *à Coronali* & finiens in *lambdoideam*, hæc dividit *oſſa ſyncipitis*, *ſecunda coronalis*, os *frontis ab oſſibus ſyncipitis dirimens*, tertia *lambdoidea* ſeu ypſiloides, à litterarum harum græcarum ſimilitudine ſic dicta, hæc ſeparat *os occipitis*; quarta *Ethymoidea*, quinta *ſphenoidea*, ſexta *temporalis*, ab oſſibus, quæ ſeparant, ſic dictæ.

*Uſus* ſutturarum omnium primò eſt, *ad meningum ſuſpenſionem*, *faciliorem tranſpirationem*, topicorum penetrationem, & oſſium ſecuritatem conducere.

§. 5.

## §. 5.

## *De Dura & Pia matre.*

ABlato cranio partes cerebri interiores in conſpectum veniunt, inter quas primò occurrunt *duo velamenta ſeu membranæ* totum cerebrum ambientes, quas deſcribit Hypocrates Lib. de locis in homine textu quinto, ſic inquiens: *Meninges cerebri duæ ſunt*, una ſuperna & craſſior, altera tenuis & cerebro proximè adaptata, Arabum interpretes *Matres* vocârunt, ſed minùs rectè, cùm vox, quâ Arabes utuntur Matrem quidem ſignificet, aſt uſitatior hîc græcorum eſt vox μενήξ, quæ idem ac *tegumentum* ſonat, exterior membrana à craſſitie & duritie *craſſa meninx* ſeu *dura mater* appellatur, hæc laxo ambitu cerebrum amplectitur, tantùm ab eo diſtat, quantùm motûs commoditas exigit, *dura inſuper mater* dicta ob ſubſtantiam, quam obtinet præ cæteris membranis *duriorem*, ſuperiùs inter ſuturas *cranio* ſe inſinuat, & ſpatiis intermediis è foraminulis in interna calvariæ ſuperficie ad id inſculptis per membranaceas quasdam fibras iis inſertas ſuſpenditur, ut mediante illa *veluti ſacco quodam* tota cerebri moles ſuſpendatur: *dari aliquam diſtantiam* inter duram matrem & cranium admodùm probabile eſt, quoniam primò in apertis cadaveribus *aliqualis diſtantia* reperitur, *ſecundò motus cerebri periſtalticus* illam exigit, ut id *commodè ac ſine noxa* dilatari queat, denique in cranii vulneribus conſpicitur *meningem non immediatè cranio adhærere*. Inſuper foraminibus multis ad vaſorum tranſitum pervia eſt hæc meninx, uno quidem ac magno ad medullæ deſcenſum, altero versùs glandulam pituitariam, quâ verò in parte oſſi cribriformi adhæret inſtar cribri perforatur, ſeu potiùs per oſſis foraminula tenellos tubulos (*proceſſus mamillares* dictos) ad nares tranſmittit.

*Superficies* craſſæ meningis, quâ cranium reſpicit, *aſperior* eſt, ac ſupernè cranio *ope filamentorum* quibusdam in locis annectitur, & inſuper per ſutturas trajectorum in *perioſtium* eſt expanſa, quâ verò tenuem meningem tangit, *lævis*, *æqualis ac lubrica eſt*, humore aqueo perfuſa, ac tenui meningi multis in locis adhæret mediantibus vaſis ſanguiferis.

*Arte-*

*Arterias* habet hæc *craſſa meninx* à majori & anteriori ramo *Carotidis*, poſtquàm verò is per *proprium foramen* in oſſe temporis exſculptum cavitatem cranij ingreſſus, & ſub durâ matre pervenit ad os *cuneiforme*, ibidem *bivaricatur*, & in utrumque latus ramum mittit, poſtmodùm diviſus in plurimos ſurculos minores per totam hujus membranæ ſubſtantiam diſtribuitur.

*Venas* etiam obtinet arteriis iſtis comites, quæ ſe exonerant *in ſinus*, & dein in venæ jugularis internæ ramos.

*Duplicatur* craſſa meninx in capitis *vertice*, ubi cerebrum dividit in partem *dextram* & *ſiniſtram*, & quia hæc reduplicatio in parte poſteriori latior & ſenſim coarctatur, ut falcis meſſoriæ figuram repræſentare videatur, idcirco *falx* appellatur, *quadruplicatur* etiam, ubi cerebrum à cerebello diſtinguit: porro in *falce hac* & præcipuè in his duplicaturis craſſæ meningis *inſignes cavitates* ſeu *ſinus*, qui videntur ductus venoſi eſſe, inveniuntur, ſunt autem quatuor majores hujuſcemodi ſinus, quibus addunt nonnulli quoſdam minores.

*Primus ſinus eſt ſagittalis*, qui per dorſum falcis ſub ſuttura ſagittali ab oſſe frontis ad cerebellum usque excurrit, éſtque propè frontem anguſtior, & versùs occiput ſenſim ampliatur.

*Secundus & Tertius* ſunt *duo ſinus laterales*, ſiti in duplicatura duræ meningis inter cerebrum & cerebellum, quorum alter tendit ad *latus dextrum*, alter ad *ſiniſtrum*, ſenſimque deſcendendo ad baſim cranii, tandem in *venam jugularem* utrinque terminantur.

*Sinus quartus* exoritur propè *concurſum ſinuum lateralium* & hic breviſſimus eſt, ac *deorſum* vergit ad baſin cerebri, ubi inter hoc & cerebellum recta abit ad *nates*, *& pinealem glandulam.*

His quatuor ſinubus Recentiorum induſtria alios adhuc tres adinventos adjecit; *quintus* itaque eſt *falcis inferior* dictus, quòd ille ob inferiori apice *cryſtæ galli* per inferiorem *falcis partem* feratur uſque in quartum ductum, éſtque figurâ prorſus illi ſimilis.

*Sextus & ſeptimus* ſunt *duo laterales minores* dicti, ſinus hi ſe habent *ad latera* duorum majorum lateralium ſinuum, ſed

Q non

non in omnibus ſubjectis deprehenduntur, porro ex iſtis ſinubus producuntur varii ramuli, qui inter cerebri cavitates expanſi atque in *plurimos ſurculos* diviſi, modò cum dictis ramulis atque arteriolis concurrentes, ſeſéque mirè interſecantes, *plexus choroidales & rete mirabile conſtituunt.*

*Uſus* horum ſinuum eſt, *ſanguinem à nutritione cerebri ſuperfluum mediantibus ſuis vaſculis in ſinus hoſce deſinentibus in ſe recipere*, ac illum dein in ramos venarum jugularium refundere & ad cor circulationis lege deportare.

*Ablatâ durâ menige*, mox altera membrana interior conſpicitur, quæ exquiſitiſſimo gaudet ſenſu, plurimiſque arteriolis venuliſque referta eſt, *& hæc tenuis meninx ac pia mater* vocatur; ita vocata, quia ſanè ſubtilis ac tenuis eſt, ac inſtar bonæ ac piæ matris immediatè ac molliter cerebrum ejúſque partes complectitur, ſimúlque omnes gyros & cerebri anfractus profundiſſimè involvit, ſicque impedit, ne *ſubſtantia*, quæ mollis & fluxilis eſt, diffluat, quare ſi cultro auferatur hæc membranula gyrorum anfractus concidendo *mox dilabuntur*, inſuper exteriorem cerebri ſubſtantiam planam reddit, atque *ductus arterioſos ac comites venoſos* ad interiora cerebri tutè deducit, quoniam artificioſiſſimè cerebri ſubſtantiæ adhæret, ut vix in ulla parte diſtrahi, aut cultello ſeparari poſſit, niſi cerebrum prævié fuerit *aliquantulùm putrefactum*, aut humoribus ſeroſis longo tempore inundatum, ubi non tam ipſius piæ matris tractus faciliùs ſeparantur, ſed etiam diſtributiones vaſorum meliùs obſervantur.

## §. 6.

### *De ipſo Cerebro.*

REmotis duabus meningibus, *cerebrum ipſum* aggredimur, in quo anima tanquam ex ſuo throno ſenſuum internorum ac externorum, túmque voluntarii motûs miniſterio *omnes in corpore exercet functiones*, hîc enim partium ſenſationes ad cerebrum delatas *percipit, ac dijudicat*, & rurſum ex eo tamquam ex ſcaturigine pro re natâ ſuæ benignitatis radios, nempe *ſpiritus animales* per nervorum rivulos omnibus corporis partibus

tibus communicat, & ſic *potentiam actiones quaſcunque edendi iſtis tribuit.*

*Cerebrum* per ſe *immobile eſt*, & tanquam motus principium ſtatuitur, verùm *per accidens* continuò movetur, non quidem *animali* ſed *naturali motu, ſiſtoles nempe & diaſtoles;* ùt videre eſt in capitis vulneribus, & recèns natis, ínque vehementiſſimis capitis doloribus, itaque cerebri motus ab arteriarum motu dependet, quoniam *motus cerebri cum motu pulsûs coincidit*, quod in recèns natorum capitibus obſervatur.

*Univerſum* ergo *cerebrum* in duas partes *anteriorem* nempe & *poſteriorem* dividitur; Illud *cerebrum ſimpliciter*, vel etiam *cerebrum anteriùs* nominatur, hoc itidem vel *cerebellum ſimpliciter*, vel *cerebrum poſteriùs* dicitur, rurſus anterior cerebri pars dividitur *per proceſſum falcem* à ſummo usque ad corpus calloſum in partem *dèxram & ſiniſtram.*

*Subſtantia* ejus duplex eſt, altera enim eſt exterior habens colorem cineritium *& corticalis*, altera verò interior colore albo prædita & cerebri *medullaris ſubſtantia* audit.

Figura ejus ordinaria ſuperiùs *ſubrotunda eſt*, inferiùs verò *varia & inæqualis;* gyri oculis plurimi obijciuntur, qui adeò mirificis meandris circumvolvuntur, ut deſcribi calamo nequeat.

Diductis cerebri lateribus & exemptâ *meningis craſſæportione falceformi* dictâ, mox in conſpectum venit dura & candidior cerebri ſubſtantia, quæ *corpus calloſum* appellatur, & eſt quædam cerebri pars durior & callo perſimilis, unde calloſum dicitùr corpus, cujus interventu cerebri latera inter ſe uniuntur.

Hoc *calloſo corpore* læviter excavato, apparent *duæ cerebri cavitates*, altera à parte dextrâ, altera à parte ſiniſtrâ, quæ duæ cavitates appellantur *anteriores cerebri ventriculi*, in fundo horum ventriculorum procedunt *duo cerebri proceſſus*, ex eadem ſubſtantia cerebrali conſtantes & in anteriori parte cerebri in os frontis *Æthmoides* ſeu *Crybroſum* ſupra nares finiuntur, & à ſimilitu-

litudine, quam cum mammis habent, communiter proceſſus *mammillares* dicuntur.

## §. 7.

### *De ſubſtantia Cerebri.*

UTrumque hunc ventriculum diſtinguit tenuis quædam & lucida cerebri ſubſtantia, quæ ideò *ſeptum lucidum* ſive *ſpeculum* nominatur, quilibet etiam horum ventriculorum figuram retinet *ſemilunarem*, ambo verò ſunt in magnitudine *æquales*, & ſuis parietibus portioni tenuis meningis adhærent, circa fundum & internam partem horum ventriculorum obſervantur *revolutiones quædam*, ſive texturæ arteriolarum venularúmque, quæ communiter vocantur *plexus choroides*, qui ſunt ſanè *elegantes & mirabiles è ſubtiliſſimâ piæ matris membranulâ productus*, plurimíſque glandulis arteriolis venulíſque intertexti, denique ubi memorati ventriculi duo invicem junguntur, ibi aliqua cerebri eſt *protuberantia*, quæ *fornix* dicitur, éſtque tribus quaſi cruribus, uno anteriori & duobus poſterioribus innixus, in communi ſectione *fornix tertio ventriculo ſuperſtare* putatur, *& corpori calloſò ſubjacere:* Porro ſub fornice retrorſum inverſo conſpicuus evadit *tertius ventriculus*, qui duorum præcedentium ventriculorum *concurſus* eſt; & aliis *media cavitas dicitur*, in hoc ventriculo occurrunt *bini meatus*, quorum alter deorſum ad infundibulum, & abhinc ad glandulam pituitariam fertur, per quam pituitoſa cerebri excrementa vulgò evacuari traduntur, *alter meatus* membranâ veſtitus poſteriora versùs per foramen quoddam *anum* ſeu *aniforme* vocatum ſub *natibus ad ventriculum quartum* tranſit, qui ventriculus ſub cerebello ab inferiori parte elevato poſteriùs in conſpectum venit, & hic quartus ventriculus *reliquis minor eſt*, qui in principio latior, deinde ſenſim anguſtior factus quodammodò in acumen deſinit, unde ſimilitudinem cum calamo ſcriptorio habens, *calamus ſcriptorius* nominatus fuit, quem verò alii nobilem ventriculum nominârunt.

Inter tertium & quartum ventriculum annotantur ab anatomicis *quatuor protuberantiæ*, quarum ſuperiores ſeu anteriores majores à lævi ſimilitudine *nates* dicuntur, inferiores verò & minores

nores *teſtes* nominantur, inter quas verò ſtriatas protuberantias conſpicua eſt rima, *vulva* appellata, continens ſuperiùs dictum *ani foramen*, ſunt autem hæ quatuor protuberantiæ unàcum ſtriatis protuberantiis ſuper iis impoſitis *principia medullæ cerebri oblongatæ continuata*, ſuperiùs & à lateribus tenuiſſimæ piæ matris membranulâ obducta, & ſubſtantiam habentia ex innumeris tenuiſſimis fibrillis compactam, proùt microſcopio conſpicere licèt, rurſum inter *nates teſtes* & *foramen ani* quod versùs quartum ventriculum ducit, appoſita eſt *glandula Pinealis* à figura nuclei pini ſic dicta, aliis verò *penis cerebri* vocata.

## §. 8.

### *De Cerebello & Vaſis ſanguiferis cerebri.*

PArs altera cerebri eſt *cerebellum*, quod in poſteriore & inferiore calvariæ parte ſcilicet intra oſſis occipitis *amplo ſinu* eſt reconditum, magnitudine in tantum cedit cerebro, in quantum *occipitium* reliquo cranio minus eſt, igitur aliis *parvum & privatum cerebrum* dicitur, conſtat ſubſtantiâ gemina *cortice* & *medullâ*, ſed utraque *duriore* & *firmiore cerebro*, cortice etiam magìs cineritio & *medullâ magìs flavâ*, & meninge ambæ tectæ ſunt partes.

Subſtantia non multùm itaque differt à cerebri ſubſtantia, excepto, quòd *nullo ſinu aut ventriculo* excavata videatur, ſed proceſſus duos obtinet *vermiformes*, qui ex multis particulis transverſis & quaſi invicem contortis, tenuique membranâ copulatis *vermium inſtar* conſtant, harum *anterior proceſſus* ad quartum ventriculum tendens, *natibus teſtibúsque* adjacet, *poſterior* non ita prominet, ſed mucrone in *cerebelli ſubſtantiam* abſumitur.

*Supereſt* vaſorum cerebri *conſideratio;* habere autem cerebrum vaſa ſanguifera per totam ſuam ſubſtantiam diſſeminata fidem facit authopſia: quia primò cerebro recenti per transverſum diſſecto *ſanguis* effunditur in ſuperficiem, & *rubicundis maculis* album ejus maculat, dein ſecundò, quia fluida & friabilis cerebri ſubſtantia facili negotio ſeparatur *à vaſis ſanguiferis*, tamquam *fibris* conſtantibus ſolidioribus; *tertiò* ſi *arteria carotis* per immiſſum tubulum infletur, ſanguis introrſum propulſus *innumera-*

*bilibus punctulis cruentis* diſſectam cerebri ſubſtantiam inficit, ſi verò *atramentum* in hanc arteriam inijciatur, mox innumera *nigricantia punctula* per cerebri diſſectam ſubſtantiam propullulant: *quartò* Sylvius accuratiſſimo cerebrum diſſecandi modo obſervavit, omnes vaſorum ſurculos primùm *piæ matri* implicari, ſed dein ſuperato cortice in *ipſam medullam cerebri* ſeſe immergere, è qua elabentes in *ſpinam nervorum* deſinunt.

*Arterias* igitur habet cerebrum à *carotidis*, venas verò comites à *Jugularis ramo* utriuſque lateris interiore, & utrisque diverſis in locis modò ſanè admirabili inter ſeſe per *frequentiſſimas anaſtomoſes* coëuntibus, inſuper ex iſta ramificatione vaſorum, eorúmque mira conjunctione *bis geminus in cerebro plexus* reperitur, ſicque in dextro ſiniſtróque cerebri ventriculo *plexus mirus* invenitur, qui utrinque *plexus choroides* vocantur; hi ex infinitis ac exiliſſimis vaſorum meningúmque divariationibus intertextis glandulis conſtant, *alius verò plexus* juxta glandulam pituitariam ſub baſi cerebri & à lateribus *ſellæ equinæ* ſitus eſt, *ac plexus retiformis* ſive *rete mirabile* nominatur, hunc plexum malè aliqui cum *plexu coroide* confundunt, differentiam enim horum plexuum *diverſus cujuslibet ſitus* manifeſtè probat. Inſuper ex Galeno lib. 9. de uſu partium capite 14. annotatur, *plexus choroides* intra cerebri ventriculos, ſicque in meningibus exiſtere, rete *verò mirabile* extra meninges locatum eſſe, adeoque ambo plexus à ſe invicem diverſas omnino partes fore: Cæterùm non ſine ratione à naturâ factum eſſe videtur, quod omnes hi plexus quaſi *in locis emunctoriis* ſiti ſint; procul enim dubio id factum eſt, quia natura ad generationem ſpirituum animalium puriſſimo ac perfectiſſimo *opus habet ſanguine*, hinc ſecretio & filtratio purioris ſanguinis inibi fieri debuit, ubi natura quàm citiſſimè *hæterogeneitates* per ſua conſtructa emunctoria è corpore eliminari potuit.

## §. 9.

### *De Medulla oblongata & ſpinali.*

PRotenditur cerebrum & cerebellum in *medullam oblongatam*, quæ eſt *medullaris cerebri pars*, *durior compacta & alba*, partim intra cranium longitudine ſcilicet quatuor digi-

digitorum transverſorum prolongata (anteriùs in hujus medullæ oblongatæ baſi, propè coalitum *nervorum opticorum* apparet *infundibulum*, quod eſt *tubulus membranaceus à pia matre productus*, ad glandulam pituitariam *ſellæ equinæ* inſidentem tendens, inferiùs anguſtior, ſuperiùs latior, intus ſubſtantiâ medullari obductus, atque *rimam* in concurſu duorum anteriorum ventriculorum cerebri complectitur, ut humores ex iis commodè excipere, hinc *glandulæ pituitariæ* tradi, à qua demum in os, & abhinc è corpore elimari valeant) partim per *magnum foramen* oſſis occipitis elapſa ac per totam ſpinæ longitudinem extenſa, ubi *medulla ſpinalis* appellatur, quæ plurimis filamentis nerveis componitur & formam *caudæ equinæ* repræſentat: Hæc igitur ſubſtantia medullaris cerebri oblongata *ex innumeris tenuiſſimis ac longis filamentis* conſtat, ex quibus omnes totius corporis nervi *ſuum principium atque originem* ſumunt.

Oritur autem hæc ſubſtantia *ex cerebro & cerebello* à quatuor radicibus ſeu fundamentis, & quidem in cerebro à duobus majoribus, quæ paſſim dicuntur *cura*, in cerebello autem à duobus minoribus à Wiliſſio *pedunculi* vocatis, dividitur inſuper *medulla ſpinalis* uti & cerebrum in partem *dextram* & *ſiniſtram à pia matre* immediatè veſtitam, hinc *Paralyſis unius vel alterius lateris* ſuam cauſam agnoſcit, utraque pars rurſum in plurimos quaſi funiculos divaricatur, unde circa finem in plurimos quaſi pilos diviſa *fermè caudæ equinæ* figuram repræſentat:

Cingitur ſpinalis medulla *triplici membranâ*, quarum prima immediatè illam interiùs cingens *piæ matris productio eſt*, ſecunda & media *à dura meninge*, tertia verò & exterior *à valido ligamento* anteriores partes vertebrarum colligente oritur, hoc verò ligamentum à parte poſteriori in validam tunicam deſinit, & obſtat, ne medulla facilè lædatur, in hujus ſubſtantiæ diſſectione *innumera ſanguinea punctula* paſſim apparent eodem planè modo ſicut in diſſecto cerebro, vaſcula tamen ſanguifera per hanc ſubſtantiam tranſeuntia *adeò tenella* ſunt, ut oculis conſpici nequeant, eſt tamen per *membranas* ſecundùm medullæ longitudinem ſupra ejus diviſuram *vena* inſigniter conſpicua, unacum *arteria*, quæ utrique ad latera progrediendo *ipſam ſubſtantiam* medullæ ſpinalis tandem ingrediuntur, ex quibus vaſa eleganti ſerie minutiſſi-

tiſſimique ramuſculi per utramque ejus inveſtientem tunicam diſperguntur, atque ex arteriolis etiam ſanguis in *ipſos medullæ poros* infunditur, cujus redundantia demum *à venarum finibus* reſorbetur, ac ad commune centrum reportatur.

Una itaque *medullæ oblongatæ* pars *intra cranium* ſupra magnum occipitis foramen, ùt ſuprà dictum, ſita eſt, altera verò pars, *medulla ſpinalis* dicta, *longiſſimè extra cranium* elapſa *intra cavitatem vertebrarum* à prima cervicis usque ad oſſis ſacri *ultimam vertebram* extenditur; continetur hæc medulla intra ſpinam dorſi, quam græci *ſacram fiſtulam* vocârunt, quia excavata eſt fiſtulæ inſtar, & principem partem continet, ac tuetur, quâ fractâ infrà, fracturam momentaneè *ſenſus & motus perit, ac de hominis vita actum eſt:* Hæc fiſtula eſt quaſi oſſea columna, pluribus conſtans oſſibus in medio excavatis, ut corpus quaquà verſùm flecti queat, quæ proinde *à vertendo* & ob motum continuum, quo in quacunque corporis flexione moventur, *vertebræ* vocantur, quodnam verò ſint vertebræ, ac quomodò vocentur, dicetur illo loco, ubi de *ſceleton* explicationem faciemus.

## §. 10.

### *De Nervis ex cerebro & ſpinali medulla egredientibus.*

Medulla oblongata eſt *immediatum omnium nervorum principium*, proùt partim intra cranium, partim verò extra cranium & in ſpina vertebrarum eſt poſita, quare ex ea *intra cranium* vulgò à cerebro ſecundùm aliquos *ſeptem nervorum paria* oriuntur, qui tribus verſibus comprehenduntur:

Optica prima, oculos movet altera, tertia adorat,
Quarta eſt, quæ guſtat, quinta audit, ſed vaga ſexta eſt,
Septima laxatas linguæ moderatur habenas.

Juxta recentiores inter quos *præſtantiſſimus Wiliſſius* ejúsque aſſeclæ, *decem paria nervorum*, totidem ſcilicet ſimplices ab utroque cerebri latere egredientes nervos ſtatuunt: Quare ſecundùm hos

*Pri-*

*Primum* par *olfactorium* dicitur, quod duobus nervis olfactoriis conſtat, qui ſub *proceſſibus mamillaribus* abſconditi latent, & unacum illis ad *os cribroſum* accedunt, in vitulis, ovibus & ſimilibus magis conſpicui ſunt, quàm in homine.

*Secundum par*, ſive horum nervorum conjugatio, ammotis proceſſibus mamillaribus mox in conſpectum venit, & dicitur par nervorum *opticum ſeu viſorium*, ideò quia ſpiritus animales, qui viſivam ſeu videndi facultatem oculis tribuunt ad ſenſorium oculorum commune defert, & hoc eſt *maximum* inter reliqua nervorum paria, & hi nervi utrinque *à cruribus* medullæ oblongatæ egreſſi, ante infundibulum *coëunt*, ſed rurſum *disjuncti*, & aliquibus vaſculis ſanguiferis ſtipati, ad oculum in utroque latere unus nervus tranſit.

*Tertium par*, *oculorum motorium* eſt, qui nervi è baſi medullæ oblongatæ penes infundibulum exorti *lateraliter antrorſum ad oculos* deferuntur.

*Quartum par* à Wiliſſio appellatur *Patheticum*, egreditur *à parte ſuperiori medullæ oblongatæ* propè cerebellum, & fertur cum pari præcedente per *idem foramen* ad oculos.

*Quintum par diviſum* à Wiliſſio & Verhayen nominatur.

*Sextum* par tendit ad linguam pro guſtûs ſenſu efformando, quare *guſtatorium* dicitur, *ex intimâ cerebri medullâ* egreditur, & per *idem cranii foramen* cum nervis oculorum motoriis trajicitur, ab his *dein ſegregatum ad linguam* defertur.

*Septimum par* per *oſſis petroſi foramen* ad aures deducitur, ad auditûs ſenſum efformandum, igitur *auditorium* par appellatur.

*Octavum par vagum* appellatur, procedit paulò infrà medullam oblongatam, & *multis conſtat filamentis*, quorum quidam tendunt ad ſtomachum, & *ſtomachici* dicuntur, aliqui ad *cor & pulmones*, aliqui ad *Epar & coſtas*, ubi nervi *coſtales* dicuntur, hoc *par Vagum* membranis veſtitur robuſtis & per *oſſis occipitis foramen* ad jugulum deſcendit, poſtquàm ramulos *colli*, *laryngis & linguæ oſſisq; hyoidis muſculis* impertivit, hinc in ramum *internum & externum* dividitur in utroque latere.

*Ramus externus dexter* demiſſis aliquot ſurculis ad pectoris muſculos, nervum efficit *recurrentem* dictum, qui in pleura, in tu-

nica pulmonis, in pericardio & in ſuperiori orificio ventriculi diſſeminatur.

*Ramus verò externus ſiniſter* nervum *recurrentem ſiniſtrum* efficit, hic in ſiniſtro latere per easdem fermè partes, ut dexter in dextro diſſeminatur, niſi quòd ad *ventriculi orificium ſuperiùs* delatus cum dextro nervo recurrenti *jungatur*, ſicque conjuncti progrediantur ad *ventriculi orificium inferiùs* & *ad Epatis partem inferiorem.*

*Ramus internus dexter nervis intercoſtalibus* propagines exhibet; & diaphragma, poſtquàm perforavit, infimi ventris partes omnes *nervulis inſtruit*, & finitur in *oſſe ſacro.*

*Ramus verò internus ſiniſter* in ſuo latere eodem modo diſtribuitur, niſi quòd loco Epatis *in lienem* penetret, ſed ab *utroque ramo interno* propagines demittuntur *ad uterum in fœminis.*

Nonum *par linguæ motorium* eſt. Oritur hæc conjugatio in *occipitio*, ea in parte, quâ propè naſcitur *ſpinalis medulla* & inſeritur in *muſculos, qui ſunt in lingua.*

Decimum & ultimum par nervorum *cervicale* juxta ſæpe memoratum Wiliſſium è medullæ oblongatæ jam jam in *ſpinalem medullam* abituræ lateribus exit, eo in loco, ubi *arteriæ vertebrales* in cerebrum aſcendunt, adeò ut dubium ſit, utrum hoc par *ultimum* cranii, an *primum* vertebralium *par* appellari debeat: & hic eſt ordo & numerus nervorum capitis à Wiliſſio & aliis recentioribus annotatus, qui & nobis hactenùs arriſit.

Extra cranium propullulant omnes nervi *à ſpinali medulla*, & ùt plurimùm ipſorum *triginta paria* obſervantur, nam à ſeptem cervicis vertebris, *ſeptem paria* nervorum egrediuntur; *duodecim verò* à duodecim dorſi vertebris, *quinque* à vertebris lumborum, *& ſex* ab oſſe ſacro ſive innominato, omnia autem hæc paria eodem ordine oriuntur, quo & ipſæ vertebræ ſunt poſitæ, & unus nervus oritur *à parte dextra* alter verò *à ſiniſtra parte.*

*Paria* autem *ſeptem cervicis* terminantur in muſculos *colli, aures* & *genarum*, & in muſculos *ſcapularum, brachiorum & diaphragmatis.*

*Duodecim autem paria* è duodecim dorſi vertebris procedentia; omnes horum nervuli fermè terminantur in muſculos *brachiorum, dorſi & thoracis* tam anteriori quàm poſteriori parte.

*Quinque paria* è vertebris *lumborum* terminantur in muſculos *dorſi, lumborum* & deſcendunt uſque *ad teſtes.* Paria oſſis ſacri deſcendunt *ad femora & pedes.*

## §. II.

## *De Officio Cerebri & Cerebelli.*

UT tandem *cerebri uſum* ritè explicemus, partium ejusdem atque vaſorum, in primis verò *tubuloſæ* atque *filamentoſæ* ejus ſtructuræ magna videtur eſſe habenda conſideratio; cerebri enim ſubſtantia *adeò peculiaris* eſt, qualis nulla alia in toto corpore exiſtit.

Hanc Hypocrat. Lib. I. de glandulis, *glandulæ* aſſimilavit dicens: *majus eſt cerebrum quàm reliquæ glandulæ*, quaſi ſignificare voluiſſet cerebrum eſſe *maximam glandulam*, ex eo quod ſit *corpus album, molle, humidum, ſubpingue*, ùt ſunt glandulæ, inſuper partis ipſius *dignitas*, operationum principum, quas edit *nobilitas*, ſuas *proprias* easdémque *principes* operationes edere demonſtrat. *Spiritus* igitur *animales*, in quibus totius vitæ humanæ conſiſtit cardo & integritas ad omnes corporis partes *per nervos amandat*, hos verò non propria ſui ipſius ſubſtantia *conficit, ac creat*, ſed vi & virtute *pultaceo tubuloſæ corticalis* ſubſtantiæ, primò ex *ſanguine arterioſo* & ſpirituoſo per arterias carotides ad cerebrum translato, *cribratione, filtratione*, ac *transcolatione* ſegregat, ſeparátque, talem autem ſpirituum animalium ſegregationem ac ſequeſtrationem in *ſubſtantia corticali* primùm fieri, tum ex *Authoritate Hypocratis*, tum ex *tubuloſa ipſius* conſtructione microſcopio obſervata, tum ex *ſegregationis* officio deducitur, atque probatur, dein ſequeſtrati ſpiritus per *medullarem albam & mollem ac ſubpinguem* cerebri ſubſtantiam ulteriùs propulſi ac rurſum quaſi tranſcolati *omníque Hæterogeneitate* liberati, poris trajiciundis proportionati, puriſſimique *redditi* ad operationes animales ritè perficiendas *in nervos* ablegantur, per quos tam-

quàm per debitos canales in omnes corporis partes à natura diſtribuuntur, & hæc tam de cerebro propriè dicto, quam de cerebello ac medullâ oblongatâ in exſplicationem *veri earundem partium usûs dicta ſunto.*

Quantùm verò ad *proceſſus mamillares ſive papillares* aliásque cerebri eminentias & ventriculos attinet, certò valde arduum erit ſingulis *propria aſſignare officia*, interim per *has cavitates*, & præſertim per *tres anteriores cerebri ventriculos* humorem ſeroſum & mucoſum in cerebro ſequeſtratum, tum mediante *glandulâ pituitariâ & Pineali*, tum per foramina oſſis Sphænoidis *ſub formâ muci*, partim per *nares*, partim per *os* excerni, ac tanquam excrementum è corpore eliminari admodùm verùm eſſe videtur.

*Plexus autem choroides & rete mirabile* ideo per ventriculos potiſſimùm expanſi eſſe videntur, ut ſanguis *curſu citatiori* per arterias ad cerebrum delatus ſeſe in his paululùm divertendo *ſecuriùs reaſſumatur in venas*, hinc etiam, ut illius *ſeroſitas ſuperflua* ſegregetur, & rurſùm ad venas mandetur, intereà *purior ſpirituoſa* & ſubtiliſſima ejusdem portio, *hæterogeneitate* omni liberatâ, nempe *ſpiritus æthereo-aereæ naturæ* cerebro, offerantur, & ab illo in nervos ablegentur.

*Uſus ſpinalis medullæ* eſt, ut nervea filamenta ad omnes partes capiti ſubjectas, tam internas quàm externas transmittantur, quibus mediantibus *ſpiritus animales quaquà versùm ritè diſtribuantur, in gratiam omnium corporis partium debiti ſensûs & motûs.*

## §. 12.

## *De Facie ſive Vultu.*

DIximus ſuperiùs aliam capitis partem eſſe *capillatam*, aliam verò *non capillatam*, quare conſiderata illâ, hanc modò contemplari ordinis ratio poſtulat, non capillata verò pars *facies ſive vultus* nominatur, unde Poëta:

Os homini ſublime dedit, cælúmque tueri
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

*Fa-*

*Facies* ideò nominatur, eò quòd *à brutis homines* differre faciat, *vultus* verò *à voluntatis indicio*, pro varietate enim voluntatis mutatur, ac voluntatem detegit; *facies* partes habet continentes & contentas; continentes & ſunt *communes & propriæ*, communes verò ſunt *cuticula & cutis*, quæ hic eſt valde *tenuis*, item *pinguedo*, *panniculus carnoſus*, continentes verò propriæ ſunt *muſculi*, *oſſa*, *cardilagines*.

Partes autem contentæ ſunt *oculi*, *aures*, *naſus & os*, quæ ſunt ſenſuum organa, ac in facie ſuam ſedem habent, ùt ſenſus *viſûs*, *auditûs*, *adoratûs & guſtûs; tactûs verò* ſenſus ordinariam non habet ſedem, ſed per *totius corporis cutem* diſſeminatur.

*Dividitur facies* in partem ſuperiorem & inferiorem, ſuperior à capillis oculos inter & tempora uſque ad ſupercilia, *frons dicitur*, inferior autem eſt pars illa, quæ ad extremum menti uſque extenditur, atque oculis, naſo, genis aliíſque partibus deſcribendis dotata, propriè *facies* dicitur.

*Frons* dicitur à ferendo, eò quòd nempe *animi indicia, gravitatem, hilaritatem, triſtitiam, clementiam, ſeveritatem &c.* præſeferat; cutis in fronte *mobilis eſt*, ideò quia duobus *muſculis latis* donatur, qui oriuntur à calvaria propè *ſuturam coronalem* ad latera muſculis temporalibus annectuntur, ſuperiùs quidem diſtinguuntur, ſed deſcenſu paulatim ita uniuntur, ut inferiùs conjuncti *unus muſculus* eſſe videatur, ubi ad ſupercilia deſinunt, *quæ attollunt*, unáque firmiter annexam ſibi cutem *in rugas* contrahunt, obtinent hi muſculi fibras non obliquas, vel transverſas *ſed rectas*, quod diligenter notandum, *propter inciſiones*, ſi quas fieri neceſſe eſt.

*Nervos* habet *à vago paris ramulo*, Arteriolis donatur *à Carotidibus externis*, venulis verò *à jugularibus*.

*Uſus* frontis *eſt cuſtodire oculos*, ideò conſtructa eſt ex oſſe duplici & validiſſimo.

## §. 13.

### *De Oculorum partibus externis.*

A *fronte* rectè deſcendendo ex parte anteriori immediatè *in oculos* deſcriptione noſtrâ Anatomicâ incidimus, qui igitur

*ab occultando* ſic dicuntur, quia nimirùm ſub palpebris occultantur.

*Sunt* autem oculi *viſionis organum*, & conſtant *ex muſculis*, *adipe*, *membranis & humoribus* tanquam partibus propriis, præter quas dantur etiam nonnullæ *impropriæ oculorum partes*, quæ pro eorum nutrimento actionúmve commoditate inſerviunt, & ab anatomicis æquè conſiderari ſolent.

Ejusmodi ultra orbitam, ſunt *palpebræ cum ciliis & ſuperciliis*, item glandulæ cum vaſibus communibus, & ductibus excretoriis.

*Palpebræ* vocantur illæ partes, quibus oculi *tempore ſomni* ordinariè, vel etiam aliàs pro *data occaſione* occultantur, ſunt reſpectu utriusque oculi binæ nimirùm *ſuperior & inferior.* Ex concurſu palbebrarum reſultant *duo Canthus* ſeu anguli oculorum, quorum ille, qui utrinque naſo adjacet *internus & major* dicitur, alter verò, qui tempora utrinque reſpicit, *externus & minor* vocatur, in quibus *carunculæ glanduloſæ* & præſertim ad Canthum internum *foramini lachrymali* incumbunt.

Harum glandularum uſus eſt, *ſeroſum & lymphaticum humorem ex ſanguine ſeparare*, & per ſuos tenuiſſimos ductus ſecretarios in oculos effundere, partim ad eorum humectationem, palpebrarum motum faciliorem, ac ſubminiſtrationem materiæ pro effundendis lachrymis.

*Conſtant palpebræ cuticula, cute & panniculo carnoſo* ſed tenuioribus, *cardilagine* etiam cum pilis, *muſculis & tunicâ exteriori.*

*Cardilago* cuilibet palpebræ *unica eſt* in limbo aut margine ſita, parva & inſtar *arcûs incurvata*, Græcis *tarſus* dicta, latinis *cilium*, cui pili *cilia* dicti implantati ſunt, qui verò pili immediatè ſuprà orbitam oculorum copiosè accreſcere ſolent, & *ſupercilia* vocantur.

*Uſus* cardilaginum eſt *margines oculorum expanſas tenere, ut faciliùs claudantur & aperiantur oculi.*

*Uſus* ſuperciliorum eſt *ſudorem à fronte defluentem intercipere*, ne in oculos illabatur, atque ad ornatum hominis facere.

*Uſus*

*Uſus ciliorum* verò eſt, *remorari ea, quæ aliunde in oculos incidere poſſent*, item pulveres, muſcas, aliáque in aëre volitantia inſecta abigere.

## §. 14.

### *De ipſis Oculis.*

SUb palpebris poſiti ſunt oculi in ſuis domiciliis, quæ vulgò *orbitæ* nominantur, utrinque ad naſi latera ſub oſſe frontis ſiti ſunt, & hi ſunt *numero duo*, tum ob majorem viſûs perfectionem, tum ut uno læſo vel deficiente, alter vicem ſuppleret:

*Globoſam circularémque* obtinent figuram, ut tam ad motum aptiores, quàm ad ſpecierum viſibilium *receptionem* comodiores eſſent.

*Magnitudo* oculorum in homine *mediocris eſt*, non omnibus tamen exactè æqualis, ſed talis, quæ ſpeciebus viſibilium recipiendis ſufficit.

Iſthæc viſionis organa oculi nempe *triplicibus conſtituta ſunt partibus*, quarum aliæ ad *nutritionem*, ut arteriæ ſanguine chyloſo turgidæ, venæque illum reducentes; *aliæ ad motum vel efficiendum vel facilitandum*, ùt muſculi, adeps, glandulæ & vaſa lymphatica, aliæ *ad ipſum viſum formaliter producendum*, *ùt nervi optici*, *tunicæ*, *& humores.*

*Arteriæ* ſanguinem Chyloſum ad nutritionem oculorum, muſculorum, glandularum & adipis deferentes, partim ſunt externæ *à Carotidis ramo externo*, partim internæ, ab interno *ejuſdem ramo* plexum retiformem conſtituente procedentes.

*Venæ externæ* in oculi albo ſpectabiles ad jugularis externum, internæ verò nervum opticum comitantes ad ejuſdem ramum internum immittuntur.

Muſculos oculorum quot attinet, *ſex numerantur*, quibus mediantibus oculi humani intrà orbitæ cavitatem *quaquà verſùm* moventur, quorum quatuor majores *recti* motum rectè ſurſum, deorſum & ad latera, & duo minores *obliqui* motum obliquum

per

perficiunt; quibus muſculis omnibus *adeps copioſus* ad facilitandum motum, vasáque lymphatica, *glandulæq;* ad oculorum humectationem & lævigationem interponuntur: *Oriuntur* muſculi omnes *principio acuto* è profundo orbitæ parte *juxta foramen*, ubi nervus opticus orbitam ingreditur, cui membranæ à pericranio natæ adnaſcuntur, & deſinunt in tendinem tenuiſſimum corneæ adhærentem, in qua omnes muſculorum tendines in circuitu ſimul juncti tunicam quamdam *vulgò innominatam* conſtituunt, quæ latioris circuli inſtar oculo adnectitur, ſed totum non ambit.

*Primus* muſculus ſuperior & craſſus oculum attollit, ideò *attollens* aliis verò *ſuperbus* appellatur.

*Secundus* ei oppoſitus in parte inferiori & humiliore *deprimens ſeu humilis*, quia oculum deorſum trahit, vocatur.

*Tertius* in majori angulo ad canthum internum poſitus *adducens*, quia oculum introrſum naſum versùs adducit, vel etiam *bibitorius* dicitur.

*Quartus* ad parvum angulum in canthu minori ſitus *abducens ſeu indignabundus* nuncupatur, eò quòd indignantium lateralem aſpectum exprimat. Ab his quatuor ſimul agentibus oculus tantiſper intrò trahitur, ac motus ſiſtitur, & hæc *actio tonica* à medicis dicitur:

*Quintus obliquorum primus* gracilis, teres & brevis, atque inferiori loco & in extrema inferioris orbitæ parte ſitus, & obliquè deorſum & ad angulum externum oculum quaſi *in gyrum* movet:

*Sextus obliquorum alter* omnium tenuiſſimus eſt, habens tendinem longiſſimum, *oculum circumagit ac* ad angulum internum ducit, hinc etiam *trochleæ muſculus* dicitur, hi duo muſculi obliqui minores etiam *amatorii* vel *circumactores* nominantur.

## §. 15.

### *De Oculorum Membranis.*

O*Culi bulbus* conſtituitur ex membranis & humoribus, membranæ igitur ſeu tunicæ oculorum *numerantur ſeptem*, qua-

quarum duæ ſunt *communes*, & quinque *propriæ*, inter communes prima eſt *tunica adnata*, quæ *à pericranio & perioſtio* ſimul oritur, & hæc in ſubſtantia ſua craſſa eſt, quare & pericranii & perioſtii ſupra *tunicam ſcleroticam* uſque ad circulum iridis expanſio eſt, & hæc oculum in ſua orbitâ tanquam in ſuo thalamo *ſtabilit*, & interioribus oſſibus *annectit, atque conjungit*, unde etiam *conjunctiva* dicitur.

*Arteriolas venulásque* multas interſparſas habet, quæ in ſanis oculis *non cernuntur*, in opthalmia verò laborantibus valdè turgeſcunt, ideoque *facillimè tunc conſpiciuntur.*

*Secunda Communium* tunica vocatur *tunica innominata*, quam Galenus Lib. 10. de uſu partium Cap. 2. & 7. ex tendinibus muſculorum oculos moventium conſtare dicit, & tunica *tendinea rectè* appellari poteſt; *Alba ac ſplendida eſt*, hinc major ei candor, quam tunicæ adnatæ, deſinit hæc in eundem quoque *Iridis circulum*, ob eandem uti prior cauſam, ſubſterniculi nempe ut vicem in oculo gerat, & ad pinguedinem in ſua Sphera continendam.

Remotis duabus hiſce communibus, propriarum primò viſui ſe offert *tunica Sclerotica dura ac cornea* dicta, eò quòd anteriùs inſtar pellucidi cornu pollita pellucida ac tranſparens ſit, hæc tunica *totum circulum involvit, & à durâ meninge ortum ducit*, itaque craſſa, dura, denſa attamen ſummè æqualis eſt.

*Uſus* ejus eſt *totius oculi ſphæram conformare, & formatam in ſua ſphæra & ſede confirmare.*

Corneæ proximè adjacet tunica *choroides* etiam *uvea* vocata, quæ præcedente longè tenuior eſt, & *à tenui meninge ſeu pia matre originem habet*, & quia in oculo humores, ſicut membrana chorion fætum in utero amplectitur; Ideò *choroides* nominatur, anteriori parte in ſui medio ad lucis intromiſſionem *perforata eſt*, in hominibus *foramine rotundo*, in brutis quibusdam *oblongo ſeu ovali*, & hoc foramen latini *pupillam* appellant, quæ *mobilis eſt*, ut nempe ad lucem intenſiùs in oculum irruentem *arctari*, remiſſam verò copioſiùs intromittendam *ampliari* poſſit.

*Pars hujus tunicæ uveæ* per corneam tranſparet, variiſque coloribus ad ſimilitudinem cæleſtis Iridis dotata etiam *Iris oculi* dicitur, quæ proùt *ſubnigra*, *cærulea* aut *cæſia* obſervatur, ab illo colore oculus conformiter *& niger*, *fuſcus cæruleus* aut *cæſius* appellatur, cùm verò hæc tunica Iridem attigit, *reflectitur* in circumferentia *uveæ portio*, atque ubi aliquantulum retroivit, *ligamentum ciliare* conſtituit, quæ ſunt tenuia quædam filamenta, referentia lineas nigras palpebrarum pilis ſimiles, & Cryſtallinum humorem cingentes, qui horum ope annectitur vicinis partibus.

*Uveæ* connectitur tertia tunica *retiformis*, *ſive retina vocata*, quæ *expanſio* eſſe videtur interioris ſubſtantiæ *nervi optici*, æmulatur reticulum illud expanſum, quale ad piſcium capturam aquis injicitur, ejus ſubſtantia *mollis eſt*, in quâ filamenta quædam tenuiſſima, & vaſcula maximè tenella è plexu *choroide & rete mirabili derivata*, ſanguinemque afferentia manifeſtè conſpiciuntur, hæc tunica eſt magis *opaca* quàm *lucida*, mixta *obſcuriori rubore*, quoniam hic *viſibilium receptæ ſpecies ſiſtuntur*, & veluti per cameram obſcuram repræſentantur tanquam in ſpeculo, ex hac tunicâ ulteriùs progredienti *quarta* tunica, *aranea* ſive *Cryſtallina* dicta, quæ ſui tenuitate *aranearum telam* refert, & *humorem Cryſtallinum* cingit. *Quinta* propriarum additur *tunica vitrea*, quæ vitreum inveſtit humorem & hunc à Cryſtallino ſeparat.

## §. 16.

### *De Humoribus Oculorum.*

INtrà tunicas oculi continentur *tres humores*, nempe humor *aqueus*, *vitreus*, *& Cryſtallinus*, quorum hic nobiliſſimus eſt, ac *centrum oculi* à quibusdam dicitur.

*Aqueus humor tenuis, pellucidus, ac inſtar aquæ fluxilis eſt*, nulláque propriâ tunicâ comprehenditur, hinc mox à ſectione oculi effluit, in parte *oculi anteriori* inter corneam & uveam tunicam ante pupillam concluditur.

*Uſus* eſt, *corneam tunicam ita diſtendere*, *ne rugoſa*, *indéque opaca fiat*, item luminis nimium ſplendorem infringere, & ra-

radios viſibiles dilatare: ſin autem humor iſte à debitâ ſuâ puritate recedat, & *craſſior* evadat, tunc *viſus hebetatur*, proùt in ſenibus contingit, cùm verò particulæ aliquæ hæterogeneæ ei innatent, tunc *culices*, *muſcæ*, *paleæ* aliáque ſimillima ante oculos oberrare aut volitare videntur; ſin verò illæ particulæ *concentrentur*, ac ita cohæreant, ut *pellicula* inde generetur, quæ ante *pupillæ foramen* ſubſiſtat, tunc viſus aboletur, eò quòd radiorum viſibilium ingreſſus in humorem Cryſtallinum impediatur.

Hócque incipiens vitium latinis *ſuffuſio*, conſumatum verò *Catarracta* nominatur.

*Secundus* humor *vitreus dicitur*, ideò *quia vitro fuſo ſimilis eſt*, *quinduplo* major exiſtit Cryſtallino & *duplo major* aqueo, figurâ *ex curvo cavus* eſt, cavus versùs anteriora, ut veluti intrà ſinum ſuum admittat Cryſtallinum humorem, curvus verò poſteriora versùs, quâ uveam ac retinam tunicam ſpectat, tenuiſſima ac pellucida tunica inveſtitur, ne diffluat, aut reliquis humoribus commiſceatur.

*Tertius* humor *Cryſtallinus ſive glacialis* dicitur, eò quòd clariſſimâ pelluciditate *Cryſtalli inſtar* ſplendeat, vel concretam *glacealem gemmam* æmuletur, hic humor eſt abſque omni alieno colore, ut omnes recipere colores aptior ſit, duobus etiam reliquis humoribus *ſolidior atque ſplendidior* eſt, atque tenuiſſimâ tunicâ *Cryſtallina* dicta obducitur, inſuper oculo exemptus, ac chartæ ſcriptæ impoſitus non ſolùm repræſentat litteras, ſed & illos perſpicilliorum vitreorum inſtar *majores efficit;* Vitreo humori inſidet iſte humor, ſicut aquis innatat pomum, ac in oculi *meditullio* poſitus eſt.

*In hoc* humore *primariò* non fit *viſio*, cùm ſpecies viſibiles hunc humorem penetrando, dein concentratæ variæque refractæ, tandem in *tunicæ retinæ corpore opaco* terminentur, ubi fibrillis nerveis hujus tunicæ variè à dictis ſpeciebus viſibilibus alteratis *ſenſationes impreſſæ* in cerebro percipiuntur, ac tum ſpecies viſibiles *ab anima* dijudicantur.

*Nervorum* in *oculis duo* numerantur paria, primum *opticum vel viſorium* dictum craſſum eſt, ac ſpiritus animales ad oculos,

ſine quibus viſionis actio perfici nequit, defert, iſte nervus parte poſtica inſeritur *tunicæ retinæ*, & ad *ipſum tunicæ centrum*, *cujus eſt expanſio*, penetrat. *Secundum* par *motorium eſt*, quod in quemlibet oculi muſculum ramum dimittit.

## §. 17.

### *De Organo auditûs externo.*

SEquitur viſionem *auditûs organon*, quod communi nomine *auris* ab audiendo vocatur, utrinque temporum regioni una appoſita eſt *auris*, ut una auriculâ forte læsâ, altera hoc munere pro neceſſitate fungatur: Dividitur *auris* in *externam* & *internam*, interna conſtat partibus communibus, ut *cuticulâ*, *cute*, *pinguedine &c.* & propriis nempe *muſculis*, *vaſis*, *& cardilagine.*

*Magnitudo* in homine *ſatis exigua eſt;* figurâ *ſemicircularis* & variis protuberantiis & cavitatibus elaborata, in quibus cum aëre ſonus non ſtatim diffluit, ſed non nihil ſiſtitur, ac infringitur, ut dein rectiùs ac minùs impetuosè *in cavernas auris internas* ſuccedat.

*Pars* ejus ſuperior *ala vel penna*, inferior verò mollis & propendens *lobus* dicitur, *Ambitus* auris exterior à tortuoſitate *Helinx*, item *Capreolus*, interior huic opoſitus *Anthelinx* nuncupatur, cavitas verò, quæ inter has partes obſervatur, *ſchapha* dicitur, pars tempora versùs, quà pili enaſcuntur, quam foſſula quædam ſive rima à lobo ſeparat, *Tragus* ſive *Hyrcus*, huic oppoſitum tuberculum quaſi in *concham* eminens *Antitragus* appellatur, cavitas verò media *concha audit*, quæ ubi anguſtatur *meatus auditorius* incipit, & eſt ea pars, in qua ſordes flavæ ac amaræ gignuntur, ac *alvearium* nuncupatur; Inter proprias auriculæ externæ partes primò viſuntur *muſculi*, quorum numero *quatuor* & quidem ab officio denominantur, *ut attollens*, *detrahens*, *adducens*, *& abducens*, cùm verò in homine *parviſſimi* ſint, idcirco aures humanæ non moventur, adeoque hi muſculi in *aſinis*, *equis*, *bobus*, aliiſque animantibus, quorum aures ad abigendas muſcas moventur, conſpicui ſunt, ùt primò *attollens* muſculus, à fine *muſculi frontis* prolatus, in auris *exteriorem & ſuperiorem partem* inſeritur, adeoque aurem *ſurſum antrorſúmque* movet.

*Se-*

*Secundus detrahens* dictus, *à mamillari proceſſu* ortus toti auris cardilagini inſeritur, *aurémque detrudit.*

*Tertius* adducens muſculi *buccæ quadrati* pars eſt, & carnoſis fibris ad auris radicem aſcendit; ibidem inſeritur, *aurémque tempora versùs* movet.

*Quartus abducens:* Ab occipitis muſculorum involucris ſuprà maxillarum proceſſum oboritur, dein in tres partes diviſus auri poſteriùs implantatur, *aurémque retrorſum* movet.

*Vaſa auri arterioſa venoſáque* implantantur, & quidem *venas* habet externa auris *à jugularibus & temporalibus*, quibus ſæpius in doloribus capitis ac oculorum inflammationibus *hyrundines* cum fructu apponuntur, *arterias* verò *à Carotidibus* recipit.

*Nervos* autem plurimùm *à ſecunda vertebra cervicis*, ſubinde etiam à quinta cerebri conjugatione habet.

*Inſuper* auris pars propria, eſt ſubſtantia quædam *cardilaginea*, quæ oſſi petroſo per ligamentum validum *à pericranio* natum, ſummâ naturæ providentiâ alligatur, hîc ſubſtantia *cardilaginea* appoſita fuit, ſi enim *oſſea* fuiſſet, facilè frangi, *carnea* verò expanſa & patula detineri haud potuiſſet.

Exterius auribus adſtant variæ glandulæ craſſæ & inſignes, quæ *Porotides* dicuntur, ſúntque non tantùm ponè aures, ùt vulgus putat, verùm etiam *ſub auribus, & ad utrumque latus*, inter has *duæ inſignis magnitudinis* reperiuntur, ſibi invicem propè accumbentes, quarum minorem *conglobatam*, majorem verò *conglomeratam*, appellant Anatomici.

*Uſus* harum glandularum eſt, *vaſa aſcendentia fulcire, atque ſerum ex ſanguine ſegregare, tum per lymphatica & ſalivalia vaſa, ad fauces & ad os dimittere*, hinc abuſivè emunctoria cerebri appellantur, adſtant adhuc aliæ plurimæ glandulæ ſub maxillâ inferiori ſitæ, in quibus *ſcrophuli* ſolent accidere, & hæc *jugulares* vocantur.

*Uſus* auris *externæ* eſt, *facere ad perfectionem auditûs*, perfectio autem conſiſtit in eo, ne adjectæ voces dilabentur antequam ad verum auditûs organon (*quod intùs latet*) perveniant,

quatenùs in protuberantiis & flexibus externis *amplificatur ſonus*, ut validiùs organon moveat, & hinc ſurdaſtri *cavas manus* opponunt auribus, quod & *Adrianus Imperator*, ùt accuratiùs audiret in conſuetudine habuit, hinc etiam tubulus *novus in Anglia inventus auri* immittitur, quo mediante aër faciliùs in internam auris cavitatem ſuſcipiatur, & ſic meliùs audiatur.

## §. 18.

### *De Organo Auditûs interno.*

AUris interna in petroſo oſſis temporum proceſſu continetur tutelæ gratiâ, in hac quàm *plurimæ* conſiderantur *cavitates*, quarum quatuor propriis inſigniuntur nominibus, *ùt Meatus auditorius*, *Tympanum*, *labyrintus* & *cochlea*, item *membrana Tympani*, *duo muſculi*, *quatuor oſſicula*, *aër congenitus & vaſa.*

*Primò meatus auditorius* vocatur antrum illud, *quod ab auris extremæ concha incipiens*, *versùs interiora tendit*, *& tortuoſo ductu*, *ſeu foramine non nihil ſurſum tendit*, tum ut, ſi quid extrinſecùs in hunc meatum incidat, faciliùs declivi tramite deorſum ferri queat, in hoc meatu colligitur *humor* quidam *flavus*, *biliosus*, *amarus*, craſſus & viſcidus è cerebro expurgatus, à mollioris ceræ ſimilitudine priſcis *cerumen* dictus, poſt meatum auditorium, *tympanum ſive* potiùs *membrana tympani* cernitur, & eſt *illa membrana tenuis & ſubtilis*, *quæ diaphragmatis inſtar dividit aurem internam ab externâ*, perioſtio ſuum agnoſcit ortum, *ſicciſſima* eſt, ut meliùs perſonet, quoniam ſicca ad ſonum aptiora ſunt, *pellucida* etiam & *ſubtiliſſima* eſt, ut ſonus *faciliùs* tranſmittatur ad aërem congenitum, inſuper *nervoſa* eſt membrana tympani, ut nec ſtylum immiſſum, nec acres ferat humores, itidem *robuſta eſt*, ut duret adversùs injurias externas, læſa enim, vel eroſa, vel rupta incurabilem auditûs abolitionem infert, quod experiuntur ii, quibus ob vehementioris aëris motum à tormentis bellicis propè aures exploſis cauſatum, rumpitur.

*Uſus* hujus membranæ eſt *meatum auditorium claudere*, *ac aërem congenitum ab extrinſeco ſeparando intùs cohibere.*

Hic

Hîc duo muſculi obſervantur, alter *externus*, alter verò *internus*, externus oritur *à membrana* inveſtiente meatum auditorium, & *tendine ſuo* in tympani centrum exteriùs inſeritur. *Internus* verò in baſi oſſis cuneiformis oritur, & in duos tendines gracillimos abit, quorum alter in *ſuperiorem malleoli proceſſum*, alter verò in *hujus cervicem* implantatur.

*Ablatâ* prædicta membranâ in conſpectum venit *ampla illa cavitas*, quam recentiores propriè *tympanum* appellant, cujus interior ſuperficies multis *colliculis ſinubúsque* inæqualis cernitur.

*In hoc* tympano mox conſideranda offeruntur *quatuor* exigua, dura, ac denſa oſſicula, nempe *malleus*, *incus*. *Stapes & os orbiculare*, quæ circa extremitates, quibus invicem committuntur, obvinciuntur ligamento exili.

*Primum igitur oſſiculum* à formæ qualicunque ſimilitudine *malleolum* nuncupatur, *capitulo rotundo* incudis cavitati incumbit, *altero proceſſu* membranæ tympani adhæret.

*Secundum incudis* nomine inſignitum eſt, referens *dentem mollarem* duabus radicibus præditum, hoc *malleolo* ſubjacet ejus caput leni ſinu excipiens in ſuperiori parte, in inferiori parte duos habet proceſſus, *unum brevem tympani ſpecui* inſitum, alterum *longiorem* & *firmiter ſtapedis capitulo* devinctum.

*Tertium oſſiculum ſtapes* à figura *ſtapedis Equeſtris* dictum.

*Quartum* perexiguum atque *rotundum* eſt *oſſiculum*, & hinc *orbiculare* vocatur, hoc ſtapedi per tenue ligamentum ad latus annectitur.

A latere cavitatis *tympani* datur *altera cavitas*, ob ductus varios & anfractuoſos *labyrintus* vocata, in hanc cavitatem à tympano datur *foramen*, quod ab hoc in illam & vice versa *aëri tranſitum* concedit, & ideò *feneſtrella* vocatur.

*Inferiùs anteriora versùs* in cavitate tympani datur *alter meatus*, qui *ad palatum* deducitur, atque hoc mediante aër *ab ore & palato*, quoties opus eſt, ad *interiora auris* dimittitur, per

hunc

hunc canalem *ſonus interiori auditûs organo* affertur, quare hebetioris auditûs homines ore aperto, exſpiratione cohibitâ, *meliùs audiunt*, unde Virgil. æneid. ſecundo inquit.

Conticuêre omnes, intentíque ora tenebant.

*In aurium* igitur morbis *hic canalis* benè notandus eſt, quia per illum craſſi humores *maſticatoriis*, aut *ſternutatoriis* ſæpe feliciter ejiciuntur medicamentis.

*In parte interiori* cavitatis tympani rurſum eminet *globulus oſſeus*, qui ſi perfringatur, cernitur tertia cavitas, quæ *cochlea* à cochleæ in gyros contortæ ſimilitudine *nominata*, è tenuiſſimâ membranâ ſuccinctæ ſunt gyræ cochleæ, in quam per minima foraminula tenuiſſimæ *nervi auditorii* fibrillæ ingrediuntur, & hæc membrana *nervoſa* per *cochleam*, *labirynthum*, aliáſque oſſium cavitates expanſa, *proprium auditûs organon* dici poteſt.

In his abſtruſis & anfractuoſis oſſis petroſi cavitatibus *aër continetur puriſſimus*, & cum ab ipſius fætûs ortu hîc inveniatur, ideóque *aër inſitus congenitus & implantatus* vocatur, quo aëre perturbato, illæ *ſuſurrationes*, *ſonitus tympanorum*; vel *aquarum delabentium ſuſurrationes & ſtridores* audiri quaſi ſemper putantur.

Diſtribuuntur etiam per internum auditûs organon *arteriolæ venulæq; plurimæ*, ab internis Arteriæ Carotidis, & venæ jugularis ramis profectæ, quæ dictarum cavitatum profundiſſima loca variis propaginibus perreptant.

Ad ſenſum auditûs nervi inſeruntur, quorum nervorum *quinti paris portio* in meatum oſſis petroſi poſteriorem delata ad *cochleæ labyrinthi* circulos progreditur, *utrobiquè audiendi munus perficiens;* inſuper accedit ramus à quarta conjugatione productus, is in *membranam tympani* progreditur, eique *ſenſum* & muſculis *movendi facultatem* tribuit.

## §. 19.

### *De ipſo Senſu Auditûs.*

CIrca hanc materiam & quomodò jam hæ partes ſimul cum aëre congenito, ad *ſenſum auditûs perficiendum* concurrant, quàm plurima occurrunt conſideranda, & primò in

*quâ*

*quânam hujus organi parte auditûs ſenſatio compleatur.* Secundò *quodnam ſit medium, quo mediante auditus perficietur.* Tertiò *quomodò ſonus aëri & hic organo auditûs communicetur.*

Pro eo igitur, quod primò conſiderandum propoſuimus, variæ ſunt Medicorum & Philoſophorum opiniones, aliqui enim putârunt *in extrema auris cavitate ſenſationem auditûs perfici;* aſt conſtat apud omnes ferme Authores, naturam hac parte uti tantùm modò *infundibuli loco*, quatenùs aër illam percutiens faciliùs ad auditorios perveniat receſſus.

*Alii opinati* ſunt ſenſationem hanc peragi in *concha* ſive *ſpecu auditorio interno*, ſed decipiuntur, cùm per hunc ſpecum *ſonus tantùm traducatur, & halitûs effluvium exiſtat*, nonnulli arbitrârunt, *ſtapedem, incudem & malleum* auditionis ſedem eſſe, ſed errant, ſcimus enim *non dari ſenſationem absque nervorum miniſterio*, quibus oſſicula hæc carere reperiuntur.

*Vulgarium* verò grex auditionem in *aëre innato* ponit, ſed maximè decipitur, licèt enim aër iſte *ſit cauſa ſine qua non*, attamen cùm aër *non ſit corpus organizatum*, ſenſus auditûs in illo fieri nequit.

Opinamur itaque auditionem fieri in *cochleæ fundo, Tympani & labyrinti cavitatibus*, ubi ſcilicet.

*Nervi auditorii* per modum *tenuiſſimæ membranæ* ſuccincti & expanſi exiſtunt, qui nervi, cùm à cerebro originem ducant, eidem cerebro rurſum ſonum *mediante aëre ſpecificè commoto, factâque ad nervos alliſione*, hinc per *traductionem fibrarum nervearum*, ac quàm maximè *mediante ſpirituum animalium in illis undulantium motu* communicant, atque repræſentant, ubi anima tanquam in cerebri throno exiſtens, advertendo hujuſmodi *fibris nerveis impreſſas*, ac mediantibus ſpiritibus in illis undulantibus *apportatas ſpecificas alterationes ſeu impreſſiones, ſonorum differentias* tum *cognoſcit*, tum *dijudicat.*

*Quod ad ſecundum pertinet*, nempe quodnam ſit medium, quo mediante auditus perficiatur, putamus ſecundùm plerosque Recentiores, *aërem eſſe unicum illud medium*, quo ſonum perci-

piamus qualemcumque, cùm enim mediante voce emiſſâ, vel alio quocunque inſtrumento, *aër* (qui inſtar aquæ lympidiſſimæ ſe habet) *commoveatur*, hâc comotione factâ, *undulando ſeſe diffundendóque* ad auditûs organum alliditur, ibidémque & *aër innatus commovetur*, ubi dum variè commotus, in *cochleæ* cæterarúmque cavitatum *membranas* ex fibrillis nervi auditorii expanſis conſtantes, variè *ad illas allidendo* has afficit, hinc *ſpiritus animales* in hujus membranæ fibrillis nerveis undulantes, etiam *variè ac ſpecificè commoti cerebro ſonorum differentias reportant*, quas dein anima percipiendo diſtinguit, ac diſcernendo dijudicat.

*Mediante aëre* autem ſonus percipi poſſe, probatur per cubiculum clauſum, vel apertum, in hoc enim faciliùs cuncta audimus, in illo verò nihil, vel obſcurè tantùm prolata ſentimus verba, quô nempe aër *liberiùs* vel *obſcuriùs* portæ rimas penetrat, eò *apertiùs* vel *obſcuriùs* à nobis ſonus percipitur.

*Ad tertiam denique*, quomodò ſonus aëri communicetur, & ille auribus; Opinamur ſonum *per impulſum* vocis, alîúsve inſtrumenti *in aërem* quaſi impelli, hinc mediante aëris impulſi (*motu tremulo* ac *undulationi* conſimili) auribus communicari (credimus enim ſonum in *motu aëris tremulo* undulationi conſimile conſiſtere) agitatâ nempe campanâ, cuncta ferme in vicinia imo & nubes commoventur; exploſione enim è tormentis bellicis factâ, equidem aër tantopere commovetur, ut inde & imbres nubésque diſcutiantur, quod obſervari in magnis urbium obſidionibus licèt.

Igitur intelligimus per *violentiam* ac *impreſſionem actionémque motûs* ſonum aëri commiſceri, propagationem verò ſoni *in tremulâ ſucceſſione aëris commoti* aquarum inſtar undulantis conſiſtere. Cujus rei clariſſimum præponimus exemplum: v. g. ſi in oppoſito aquæ ſtagnantis vado ſeu ripa, lapillos in aquam rectà deſcendentes projiciamus, mox ex utraque parte *undulationes* rotæ inſtar ſeſe *dilatantes* conſpiciemus, & unam quamque undulationem ad oppoſitas uſque ripas continuari videbimus, cúmque aër aquæ inſtar ſit fluidus, imò *fluidior*, accidit, ut ob motûs facti impreſſionem etiam *undulationes* in eum impreſſæ eodem modo, ſicut aqua commota uſque ad ripas, illæ, ad aures uſque noſtras continuentur.

§. 20.

## §. 20.

### *De ipſo organo Odoratûs.*

A*B auribus ad nares* ordine tendimus, quæ in editiori faciei parte ſuam habent ſedem, *ut ſurſum aſcendentes inviſibiles exhalationes meliùs ſuſcipere poſſint.*

*Naſus itaque* ſive illa faciei protuberans pars, eſt *odoratûs organum*, & dividitur ſicut auris in *internum & externum*, internus conſtat ex *oſſibus*, *nervis & proceſſuum mamillarium* propagatione:

*Externus* verò rurſum ſubdividitur, & in partem *ſuperiorem* & *inferiorem*, ſuperior igitur pars, quæ oſſea & immobilis eſt, *dorſum naſi dicitur*, cujus pars acuminata *ſpina*, & illa *cardilaginea* ac *mobilis* eſt, hujus extremitas *globulus* ſive *orbiculus*, ab Hypocrate verò *pinnula extrema* nuncupatur; hæc ſæpe *duplex eſt*, quibus nempe extremæ cardilaginis *mucro* bipartitus eſt, partes laterales utrinque à ſpina versùs malas declinantes *ſcápulæ*, harum verò infimæ partes *alæ ſive pinnæ* narium vocantur; pars autem carnoſa in medio prominens, labióque vicina *columna* appellatur.

Intrinſecùs dividitur *naſus* per *ſeptum* in duo foramina vel tubos *nares* vocatos, ut uno obſtructo per alterum *in- & exſpirare* valeamus, & quia hi tubi ſatìs ampli & patentes ſunt, igitur ad oſtium pili *vibriſci* dicti naſcuntur, quibus mediantibus *pulveres*, *muſcæ*, *paleæ*, *aliáque inſecta* arcentur, quodlibet autem foramen rurſum dividitur *in duas partes*, unum ſurſum aſcendit ad *os ſpongioſum*, alterum verò ſuprà palatum *ad fauces & ad oris interiora* abit, ubi aër in-&-egreditur *pro reſpiratione*, & *etiam vocis modulatione*, hinc contingit, ut potus ſubinde per nares ejiciatur, aqua verò ſive tabacus naribus attracta naſo clauſo per os elabi ſoleat.

Conſtat naſus *cuticulâ*, *cute*, *cardilaginibus*, *muſculis*, *membranis*, & *vaſis &c.* Cutis hîc loci admodùm tenuis eſt, & quia nulla pinguedo ſubſternitur, ideò cardilagini & muſculis tam firmiter adhæret, ut vix integra ſeparari queat; in interioribus narium cavernis quædam *ſubſtantia fungoſa & ſpongioſa* ob-

 ſer-

ſervatur, quæ ex oſſis *cribriformis* inferiori parte producitur naſi parietibus adhærens, ſepto tamen *non annexa eſt*, inferiùs ſpongioſis ſubrubris carnibus oppleta, & hæ ſpongioſæ carnes hujus ſubſtantiæ ſupremam cavitatem occupant, *ut deſcendentis muci ſubitaneus influxus retardetur.*

*Inſuper* inveſtitur hæc carnoſa & fungoſa ſubſtantia *tenui membranâ*, quæ à dura matre per foramina oſſium cribriformium erumpente oritur, *exquiſiti eſt ſenſûs*, quare irritata *ſternutationem* ſuſcitat, pervia tamen & *poroſa* membranula eſt iſthæc, ut *muco deſcendenti tranſitum præbeat.*

## §. 21.

## De Partibus nares conſtituentibus earumdémque Uſu.

SUperiorem & immobilem naſi partem expanſum ſuſtinent oſſa, *duo ſcilicet lateralia* & *unum internum medium*, quod naſum in *duas* dirimit *partes*, & hoc dicitur *ſpongioſum* in media frontis baſi ſitum, & narium cavitatem opplens, dicitur etiam os *Ethmoides vel cribroſum*, quia pars ejus interior; quâ capiti jungitur, *multis foraminibus* cribri inſtar pervia eſt, adeoque hæc pars propriè *cribroſa* dici poteſt.

*Inferioris* naſi partis ſubſtantiam conſtituentes ſunt *quinque cardilagines*, *duæ ſupernæ & latiores*, quâ naſi oſſibus adhærent, & quò magis deſcendunt, eò *molliores* evadunt, adeò ut circa naſi extremitatem in ligamenta abeant.

*Tertia* inter has *ſeptum medium* conſtituit, vel illud interſtitium, quod inter utrumque naſi foramen datur.

*Quarta & quinta* ſunt inferiores duæ cardilagines laterales *pinnas narium* conſtituentes, & hæ per membranoſum ligamentum in ſumma extremitate ita colliguntur, ut una cardilago eſſe videatur.

*Harum Cardilaginum* motui præſunt *quatuor muſculorum paria*, duo paria ad *dilatationem* faciunt, dum alis vel pinnis ſur-

ſurſum tractis narium foramina aperiunt, & totidem ad *conſtrictionem:* primum par dilatantium, *Pyramidale*, ſecundum verò *commune* dicitur, illud canoſum eſt, & ab oſſibus malorum oritur, ac inſeritur juxta labiorum muſculum in *pinnam exteriorem.*

Hoc verò *triangulare* initio acuto & carnoſo à frontis ſutura juxta foramen lachrymale naſcitur, & *naſi ſpinæ* implantatur.

*Conſtringentium* verò primum par *Mytriforme*: ſecundùm *internum* vocatur; illud par oritur circa pinnarum radicem, dein transverſim fertur & *angulis alarum* inſeritur; Hoc firmiſſimum eſt & membranoſum, latitans ſub tunica narium parte interiori, oritur ab oſſis naſi extremitate, & *pinnis* implantantur.

*Nervus* utrinque unus, qui *tertii paris* ſoboles eſt, & per foramen commune, ad majorem oculi angulum, abhinc in tunicam naſi internam, ac ab eâdem tunicâ in *ſubſtratam carnem papilloſam* abit, indéque ulteriùs ad muſculos progreditur.

*Arterias* nares recipiunt à *Carotidibus*, venas verò à *jugularibus.*

*Uſus naſi* eſt, ut ſit *certum odoratûs organon*, & quidem mediante *tenui illâ carne papillosâ* ſub interiori narium tunica ſitâ, quæ non habet aliam ſibi ſimilem in toto corpore, cujusque *papillæ* nervorum odoratoriorum fines ingrediuntur, quibus mediantibus *alterationes*, hinc ab effluviis exhalantibus *factæ impreſſiones*, illæ verò ipſæmet per ſpiritus in nervulis undulantes cerebro communicantur, ibidémque perceptæ ab animâ dijudicantur.

Serviunt inſuper nares juxta Hypocratem *non ſolùm ad liberam ſed & coactam reſpirationem*, ut enim ore obdurato *per nares reſpirare* in caſu neceſſitatis queamus; in liberâ autem reſpiratione muſculorum naſi *nulla ſit actio*, per cardilagines enim ſatìs aperta ſunt orificia, in coacta verò reſpiratione à muſculis dilatantur alæ, ut aër confeſtim ingredi poſſit, cujus beneficio etiam nares *ad ſonoram vocis pronuntiationem* faciunt, quod in morbis cardilaginum naſi clarè obſervari licèt.

*Iſtis uſibus* addit Ariſtot. tertium, nempe *ſternutationem*, qui verò potiùs *abuſus eſſe* dici poteſt, per accidens enim fit;

& non ex naturâ *neceſſaria* eſt ſternutatio, utpote per illam rei non naturalis, neque ſecundùm naturam fit evacuatio, ſed motus violentus & *quaſi convulſivus* eſſe videtur, multi enim *ſine ſternutatione* diutiſſimè vixerunt; Igitur potiùs alium uſum narium tanquam ſecundarium ſubſtituemus, ut nempe *pituitoſa excrementa* in cerebro collecta, tum à glandula pituitaria ſegregata, hinc per os crybroſum tranſcolata, *per naſum tanquam per canalem appropriatum* effluant. Inſuper naſus *ornatum faciei* addit, unde Chyrurgia Curtorum, quæ circa renaſcendum naſum occupatur, nata eſt, de qua inſpiciatur Chyrurgus Taglia-Cozzus.

## §. 22.

### *De Organo guſtûs & in ſpecie de Ore, & Labiis.*

MOdò exminandum eſt *organum guſtûs* videlicet *lingua*, cujus explicationem trademus, poſtquàm *de ore*, *labiis* cæteriſque vicinis partibus neceſſaria explicaverimus.

Igitur os duplices habet partes *externas* nempe circum circa os poſitas, & alias *internas* in ipſo ore ſitas, quas ſingulatim proponemus, *partes externæ ſuperiores* ſub oculis, inter nares, aures & mentum expanſæ communiter *genæ* dicuntur, & dividuntur in partem ſuperiorem, quæ inter naſum & aurem exiſtit, & hæc ob ruborem in pudore oborientem *ſedes pudoris*, ab Hypocrate verò *faciei circulus*, item *malum* ſive *pomum faciei* nominatur, *inferior latiórque pars*, quæ inflari poteſt, *bucca* vocatur, has partes ſequuntur *duo labia*, quibus mediantibus *oris rima* clauditur, harum partes externæ *prolabia* dicuntur, & quæ in oris commiſſura rubent, græcè *Proſtomia* vocantur, *cavitas* labio ſuperiori ſub ſepto naſi impreſſa *Phyltrum* appellatur, pars verò *utrinque* à cavitate proſtans *Myſtax* audit, internè ſub proſtomio labii ſuperioris membranula cernitur, quâ mediante labium hoc cum ſummis gingivis alligatur, & hæc *frænum* dicitur, ſub *inferiori labio* pars externè in acutum prenſa *mentum* vocatur, ſub mento pars in pinguibus propenſa *buccula* nuncupatur.

*Con-*

*Conſtant* verò labia ex *carne molli*, *& fungoſâ*, cui cutis cum muſculis ita exactè commiſcetur, ut muſculus cutaneus eſſe videatur, teguntur labia interna *tunicâ*, *ori*, *æſophago & ventriculo communi*, unde in vomiturientibus *inferius labium* tremit.

Inter duo labia cernitur *rima magna*, quæ latinè *os*, græcis *ſtoma* dicitur, continet *amplam cavitatem* ad fauces uſque conſpicuam, *os* in media faciei parte collocatum eſt, ut aſſumpta non ſolùm guſtu, ſed & ore quodammodò cognoſcerentur, & *declivi viâ* faciliùs ad ventriculum deſcenderent, tota interna oris capacitas ſuccingitur *tunicâ*, quæ intra dentes craſſior ac in palato *rugoſa*, in gingivis verò extrà dentes & labiis *tenuior* exiſtit, & hæc eſt tunica *gulæ & ventriculi* continua.

*Uſus* ergò labiorum eſt, ut *os claudant*, *denteſq́z ac partes interiores ab injuriis tueantur*, *edendi bibendíque commoditatem ut præſtent*, *& ad ſermonis modulationem;* item ſalivæ retentionem, ſputi conglobationem & rejectionem tandémque ad ornatum faciant.

*Oris* autem uſus eſt primarius, *ut in eo alimenta tanquam in infundibulo recepta, maſticata & præparata per Oeſophagum commodè ad ventriculum deſcendere*, ac in eo faciliùs digeri poſſint: Secundarius, ut ad *vocis & ſoni modulationem* faciat.

Cùm verò os ipſum partim ex partibus oſſeis, ùt maxillâ ſuperiori, & inferiori cum infixis dentibus, partim ex carnoſis ùt labiis & buccis conſtet, hæ verò partes omnes beneficio muſculorum moveantur. Quare

## §. 23.

## *De Muſculis buccarum & labiorum.*

M*Uſculorum itaque* duo paria ab utroque latere & buccis & labiis ſunt communia, nempe muſculi *quadrati & buccinatores*, quorum fibræ ita miſcentur, ut diſcerni nequeant, itaque nec poteſt dari ratio diverſorum, & fortium horum motuum, quos ſuccedunt.

Pro-

Propriorum ſunt *quatuor paria* & *muſculus orbicularis*, primum par *ſuperiùs* labium *elevat*, alterum *deprimit inferius*, tertium *abducit*, quartum *conſtringit utrumque labium*; Muſculi quadrati oriuntur *à colli vertebrarum ſpinis*; à *ſcapulâ*, à *clavicula & à pectore*, ab his principiis ſenſim ad faciem aſcendentes, tandem implantantur *in labia & mentum & radicem naſi ac aurium*. Adeóque *levatores* ſive *elevantes* ab oſſe primo *ſuperioris maxillæ proventi* inſeruntur ad *latera labii ſuperioris* juxta narium pinnas; *depreſſores* oriuntur ab inferioribus & lateralibus *menti aſperitatibus* indéque ad *labii inferioris medium* obliquè procedunt, *abductores à cavitate ſubdita malis* exorti ac multâ pinguedine involuti deſcendunt *ad fines* ſequentium, *conſtrictores* arcuatis fibris excurrunt ſecundùm longitudinem labiorum, & ad *oris fines utrinque* ingrediuntur; *Muſculus orbicularis* eſt etiam *conſtrictor*, quia utrique labio communis eſt, & inde labium utrumque in *oris circuitu* informat, totum os *ſphyncteris inſtar* ambiens, labia ad ſe mutuo adducens *fibris orbicularibus conſtringit*, ac cuti rubicundæ ſcilicet *proſtomio* firmiter adhæret.

## §. 24.

### *De Muſculis Maxillæ inferioris.*

M*Uſculi maxillæ inferioris* (hæc enim movetur ſuperiori immobili exiſtente) validiſſimam conſtrictionem perficientes in ciborum comminutione, *maſticatorii*, *molares & manſorii* nominantur, eorúmque ſingulatim *decem ſunt*, ſive *quinque paria*. Primi ſunt *crotaphites* ſeu *muſculi temporales*, quod ſingulari naturæ beneficio in temporibus pro illis tuendis exſculpta ſit cavitas, in qua ſecurè & tutò lateant, prætendens illis natura quaſi ſcutum, *os jugale* dictum; oriuntur hi muſculi ab oſſibus *frontis*, *bregmatis*, *temporum & cuneiformis* ſenſimque rectis fibris deſcendunt versùs tendinem nervoſum ac robuſtiſſimum, cui coronæ inſtar inſeruntur, tendo autem hîc originem non habet, ubi videtur habere, ſed per *totos pene muſculos* diſſeminatur, ab his itaque *muſculis maxillas ſurſum trahentibus os clauditur*.

Riolanus hos robuſtiſſimos totius corporis eſſe pronuntiavit, quia fortiſſimâ maxillarum conſtrictione ſuſtinent majora pondera, quàm omnes reliqui muſculi ſimul agentes ſuſtinere valent.

*Secun-*

Secundi duo *biventres* nuncupantur, hi â proceſſu *ſtyliformi* utrinque oriuntur, & in *mentum* inſeruntur, ab his maxillam *deorſum trahentibus os aperitur.*

*Tertii* ſunt *aliformes*, quia à proceſſibus *aliformibus* & oſſis *cuneiformis aſperis lineis* nati ſunt, dein progredientes ad *partes laterales maxillæ internas validis ligamentis* figuntur, hi maxillam veluti à capite abducendo *hanc directè movent antrorſum.*

Quarti ſunt *Manſorii primi*, geminum hi principium habent, oriuntur *à ſuturâ tertii quartique oſſis maxillæ ſuperioris*, alterum verò *ab oſſe jugali*, ab his itaque initiis versùs mentum progredientes & latiores facti, totius tandem *maxillæ amplitudini validâ inſertione implantantur*, horum fibræ, quia ob diverſa capita ſeſe decuſſatim interſecant, igitur *maxillam ad latera dextrorſum nempe & ſiniſtrorſum, imò etiam ad interiora movent.*

*Quinti* ſunt *Manſorii alteri*, hi à cavitatibus internis *proceſſuum aliformium enati* deſcendunt ad maxillæ internas aſperitates juxta ſinus, quibus latis tendinibus affirmantur, productam hi à *primis manſoriis maxillam revocant*, *& movent retrorſum.*

## §. 25.

### *De Maxillis & dentibus.*

A Muſculis maxillarum ad ipſas maxillas, dentes in ore continentes progredimur, duæ igitur inveniuntur *maxillæ, ſuperior & inferior*, ſuperior à ſuperioribus ad ipſum *orbitæ oculi os* protenditur, inferior reliquam faciei partem *mentum versùs* complet. Prior *immobilis*, ſecunda verò *mobilis* eſt; ſuperior maxilla conſtat *in utroque latere quinque oſſibus*, quæ potius per harmoniam, quàm ſuturam junguntur, quarum primum *eſt os Zygomaticum*, ſecundum *lachrymale*, tertium *maxillare*, quartum *naſale*, quintum *palati poſticum.*

Inferior verò *duobus* conſtat *oſſibus*, quæ in media parte menti uniuntur per intermediam cardilaginem, ideoque in recèns natis diviſum quaſi videtur, in adultis verò hæc cardilago dureſcit, ac

oſſibus ſimilis evadit, continet *præſepiola dentium* cum *proceſſu coronide* & *condillo*.

*Uſus* maxillarum eſt, tum ad *efformandam faciem*, *quàm ad cibos comminuendos*, quâ ratione inferior præcipuè facta eſt mobilis, ſuperior verò immobilis, & ideò, ne per ejus motum *viſio* deturbetur.

*In utraque maxilla* ſunt *dentes*, ita dicti, quaſi edentes, per *gomphaſim* inarticulantur, & in alveolis à nervulis ipſorum radicibus inſertis, ac *à gingivarum cardilagine* firmiter continentur; & ſunt numero *triginta*, *vel triginta duo*, ſcilicet in utroque latere *quindecim vel ſedecim*.

*Uſus* dentium eſt *comminuere & maſticare cibos*, *& ad diſtinctam pronuntiationem*, ac etiam oris ornatum facere.

## §. 26.

## *De Gingivis & Palato.*

POſt dentes occurrunt *gingivæ duæ*, quas conſtituit caro ſui generis & immobilis, dentes valli inſtar cingens, eóſque in *ſuis alveolis* mediante cardilagine ſtabiliens, quâ valde indigent edentuli, quia illâ vel *exeſâ* vel *relaxatâ* dentes vacillant, aut excidunt.

*Uſus* gingivarum eſt *dentes in ſuo ordine continere*, *atque vacillaturos firmare*.

Poſt gingivas conſideranda venit oris interna ac ſuperior pars leviter concava, quæ *palatum* dicitur, éſtque *cerebri baſis ex oſſe ſphænoide* formata, à faucibus ad dentes uſque extenſa.

Conſtat ex carne *peculiari & glanduloſâ*, exilibus nempe glandulis conglomeratis, & *tunicâ craſſâ* quibusdam in locis *rugoſâ* conſtructa per hanc per minima foraminula è glandulis ſubſtratis *ſalivalis liquor* in oris cavitatem transmittitur.

Inſuper notantur hîc in interiori proceſſu à naribus *ſpiracula* in oris cavitatem hiantia, *aërémque transmittentia*.

*Uſus*

*Uſus* palati eſt, *partim una cum lingua guſtum perficere, vocis ſonum infringere, ac perfectiorem reddere*, atque hinc illi, quibus hæc pars ex infelici ulcere exeſa eſt, guſtum habent imperfectiorem, potúmque *per nares* facili negotio vel leviter nauſeati rejiciunt, ac *raucam, clangoſam* & ingratam vocem edunt.

## §. 27.

### *De Uvula & faucibus.*

A *Palati Medio* juxta narium meatus in os ſupra laryngis rimam inter amygdalas uvæ inſtar propendet *uvula*, quæ eſt *caruncula rubra glanduloſa & fungoſa* tenui, ſed laxâ veſtitâ pellicula à palato demiſſâ, & à pituitoſis defluxionibus facilè intumeſcit, & prolongatur, qui affectus *relaxatio uvulæ* appellatur.

*Riolanus & veslingius* huic *duo muſculorum paria* ad ſuſpenſionem levémque illius motum adſcribunt, aſt opinio eorum ſolummodò conjecturalis eſt, cùm nulli muſculi ea in parte demonſtrari queant, & uvula etiam motu voluntario prorſus deſtituatur.

*Uſum uvulæ* ſive gurgulionis ac Columellæ triplicem eſſe Galenus Lib. 7. Cap. 5. de uſu partium dicit: primò, *ut ſit vocis plectrum*, id eſt, ut conferat ad vocis magnitudinem & elegantiam, ſecundò *ut aëris frigidioris inſpirati impetum nonnihil frangat*, tertiò ne *humores per palati ſuperiora deſcendentes rectè in laryngem copioſi incidant;* ſed per uvulam versùs Æſophagum deriventur, ſecundùm aliquos etiam impedire, ne potus ex ore in nares facilè regurgitet.

*Uvulam fauces* proximè inſequuntur, quæ, licèt impropriè de *toto oris hiatu* dicantur, ſtrictè tamen tantùm deſignant illud *ſpatium poſterius, & inferius*, ubi linguæ & aſperæ arteriæ extrema nariúmque foramina per palati poſteriora deſcendentia concurrunt, & ore operto & linguâ depreſſâ conſpicitur atque ab Hypocrate *Iſtmin* dicitur.

*Faucium uſus eſt, illaquæ in ore aſſumuntur, & maſticata ſunt, ad æſophagum traſmittere & deglutire*, quæ actio mediantibus tribus muſculorum paribus Pharyngi cum æſophago communibus perficitur.

## §. 28.

## *De Oſſe Hyoide ejúsque Muſculis.*

ANtequàm linguæ Anatomen aggrediamur, de *oſſe hyoide* aliqua præmittimus. Eſt igitur in faucibus os, quod à forma græcæ litteræ Y. dicitur *Ypſiloides*, ab aliis *hyoides*, & etiam *os linguæ* dicitur, cernitur quidem ùt *unum*, ſed reverà conſtat ex *tribus*, rariùs ex *quinque*, *ſeptem* vel pluribus oſſiculis, inter hæc *medium* eſt maximum & *baſis* cæterorum, hoc verò in modum *arcus* curvatum eſt, foris *gibbum*, intùs non nihil *cavum*, ſub quo hæret *Epiglottis*, huic utrinque gemini proceſſus *cornua* dicti, quia duorum cornuum inſtar ſe habent, committuntur, ſin autem ſupra ternarum numerum plura oſſicula adſint, illa *cardilaginea* exiſtunt. Jungitur os hyoides per proceſſus breviores *Cardilagini ſcutiformi laryngis* mediante ligamento, per longiores verò proceſſus articulatur *proceſſibus temporum ſtyliformibus* mediante cardilagine & valido ligamento.

*Uſus oſſis hyoidis eſt firmare linguam, tam in loquendo, quàm in deglutiendo*, cùm enim loquimur, lingua fulcrum habet per articulationem proceſſus *oſſis hyoidis brevioris* cum larynge, qui hîc oſſis vices gerit, dum enim deglutimus, fulcrum accipit in appendice *oſſis ſtyliformis*, cujus beneficio cibus & potus ſupra laryngem tanquam per pontem trajicitur, cùm verò hoc os non moveatur, antequàm priùs & lingua commoveatur, igitur *quatuor paria* muſculorum cum linguæ muſculis *communia* habet, & non nſi illis remotis muſculis demonſtrari poſſunt.

*Primum* igitur par *oſſis hyoidis dicitur ſternohyoides*, quia oritur ab altiori & interiori regioni ſterni, & finitur in *baſi oſſis hyoidis*, uſus eſt os *hyoides recta deorſum trahere.*

*Secundum* par dicitur *geniohyoides*, oritur ſub mento ex interna parte maxillæ inferioris, & finitur in *media ſede oſſis hyoidis*, uſus eſt *illud os recta ſurſum & nonnihil antrorſum trahere.*

*Tertium* par dicitur *ſtyloceratohyoides*, eſt gracile & teres ſub mento ſitum, oritur ab oſſis ſtyloyoidis appendice, & finitur in *cornua oſſis hyoidis*, uſus eſt *memoratum os ad latera movere, & nonnihil ſurſum trahere.*

Quar-

*Quartum* par dicitur *coracohyoides*, oritur ex latere ſuperno ſcapulæ, & propè oſſis *carocoyoidis* proceſſum defertur ſurſum, & finitur obliquè *ad oſſis hyoidis latera*, Uſus eſt *os hyoides deorſum trahere.*

## §. 29.

### *De Lingua ſive Organo guſtûs.*

TAndem ad *linguam*, quæ *à lingendo* nomen adepta eſt, deveniemus, hæc græcis *gloſſa ſeu glotta* dicitur, ſita eſt in ore ſub palato, & capacitatem maxillæ inferioris replet, numero *unica eſt*, *oblonga nempe lata & craſſa in homine;* ſed ad radicem *craſſior*, in extremitate verò *tenuior & acutior*, quæ ſi expeditè moveri nequeat, *blæſos* & balbutientes homines reddit, ſubtus ſub linguâ *ligamentum eſt* firmum & latum, cujus extremitas *frænulum* dicitur, hîc ſectio ſubinde in infantibus inſtituitur; ſed cautela adhibenda eſt, ne *nervi linguæ ſubſtrati* incidantur, lingua undique libera eſt, ſed poſterius *oſſi hyoidi* laryngi item faucibus & tonſillis annectitur.

*Subſtantiam* obtinet lingua peculiarem, quæ *caro eſt peculiaris*, qualis nulla alia, éſtque *guſtûs organon*, interim *mollis*, *rara*, *laxa*, & *ſpongioſa* ad imbibendos humores ſolutos.

*Geminâ* contegitur *membranâ*, unâ nempe exteriori *craſſa*, alterâ interiore & *tenui*, craſſa *duræ matris*, interior & tenuis *piæ matris* productionem eſſe putatur; ſub hac plurimæ exiles *prominentes nerveæ papillulæ* cernuntur, quæ per hanc membranulam protuberantes in craſſæ incumbentis membranæ *poros latiuſculos* inſeruntur.

*Linguæ* præcipuè humanæ *ſubſtantia fibris valde tenuibus* prædita eſt, tam variè autem & obſcurè hæ fibræ ſibi invicem intermiſcentur, ut earum ordinem & ſitum explicare difficillimum ſit.

*Arterias duas* majuſculas accipit lingua *à carotidibus* nempe, & venas ad *jugularium* ramum internum dimittit; quæ ſub lingua *venæ Raninæ* (inſigniter ſubinde turgentes & conſpicuæ) dicuntur, ac in *variis in affectibus non raro ſecari ſolent.*

*Nervi tam motorii* quàm *guſtatorii* inſeruntur linguæ, craſſius par *interiora* pereptans, *à ſeptima conjugatione*, tenuius verò par *exteriora* tunicæ linguæ percurrens *à quarta conjugatione* oritur.

Movetur lingua in quamcumque partem, idque beneficio partim *illorum muſculorum*, quas cum *oſſe hyoide* communes habet, ùt diximus, partim ſingularibus & propriis, *quinque nempe muſculorum paribus*.

*Primum par ſtylogloſſum* appellatur; ab oſſis *ſtyliformis appendice* natum, circa medium in *utrumque linguæ latus* inſeritur, atque linguam attollit, & introrſum ducit.

*Secundum par Baſilogloſſum* ſeu *Ypſilogloſſum* dicitur *è baſi oſſis hyoidis* prodiens, & in *medio linguæ* finitur, hoc linguam *rectè introrſum* trahit.

*Tertium par Geniogloſſum* nominatur, in *interna* menti ſede oritur, & *medio linguæ inferiùs* inſeritur, *quam exſerit*.

*Quartum par à cornubus oſſis hyoidis* progignitur, atque & *ceratogloſſum* vocatur, *lateribus linguæ* inſeritur, eámque *in latus movet dextrum*, vel *ſiniſtrum*, ſi verò ambo ſimul agant, linguam *deorſum versùs interiora* trahunt.

*Quintum par Mylogloſſum* vocatur, oritur *à lateribus maxillæ inferioris*, ad radices dentium mollarium & ſub lingua *in illius ligamentum* inſeritur, eámque *deorſum* trahit.

*Uſus* linguæ eſt, primò *guſtûs*, ſecundò *loquelæ eſſe inſtrumentum*, tertiò *cibos hinc inde in ore volvendo maſticationem adjuvare*, quartò *actionem lambitivam efficere*.

## §. 30.

### *De Glandulis oris & ductibus ſalivalibus.*

AD radicem linguæ glandulæ *ſublinguales* dictæ plurimæ ſunt, ex his ſemper *aliquid humoris* ad partes ſiccas irrigandas defluit, & imprimis in utroque latere *glandula major eſt*,

à qua

à qua *ductus ſalivales* originem habent, hoſce ductus ſalivales annotat Galenus Lib. 11. de uſu partium ajens, quoniam exſiccata lingua ad motus tardior efficitur, quare natura mirificè providens in *larynge glandulas carnoſas ſpongiis ſimiles* & quidem *unam majorem* utrinque appoſuit, quod ipſum etiam ſub lingua fecit, atque ex iis per *meatus obliquos* ad inferiores partes *ſeroſum & pituitoſum humorem* eructat, ſic linguam ipſam per omnes ejus partes in ore humectat; Hic ipſe humor ſive *eadem ſaliva,* non ſolùm oris inferiora lubricat, ſed & cibis in ore maſticatis admixta *facilem deglutionem* efficit, atque alimentorum aſſumptorum *reſolutionem* promovet, præter hos ſublinguales ſalivales ductus, adhuc *duos alios* utrinque nempe unum Recentiores obſervant, quorum ſuperiores *ductus ſalivales ſtenoniani*, inferiores verò *ductus Warthoniani* dicuntur; originem hi habent *à maxima glandula* ad radicem aurium ſita, atque externè decurrentes in *oris cavum* finiuntur, modò *remotiùs*, modò *propiùs* ad utriusque labii confinium accedentes; glandulæ hæ quaſi ex plurimis glandulis conglomeratis conſtant, quibus vaſa lymphatica & arteriolæ venulæque ac nervorum fibrillæ intertextæ adnexæque ſunt.

## §. 31.

## *De ipſo Guſtûs ſenſu.*

EXplicatâ totius oris ac linguæ Anatome, quæ pro *guſtûs organo* à natura eſt conſtructa, igitur pro coronide de guſtu aliqua prætexêre conabimur.

*Primò* nempe in *quânam linguæ parte* hujusmodi ſenſatiò perficiatur.

*Secundò, quo pacto guſtûs ejúsque diverſitas habeatur*, & ex quâ cauſa conſurgat. Et denique

*Tertiò* de *ſapore ac quomodò is linguam* efficiat.

*Ad primùm* itaque dicimus ſecundùm opinionem fermè omnium Recentiorum, *nerveas papillas prominentes* & *ex tenui membrana linguæ protuberantes*, indéque *in poros exterioris craſſæ membranæ ſe ſe inſinuantes, ſedem ſive locum pro guſtu efficiendo ſuppeditare*, ratio eſt, nam ubi major harum papillarum nervea-

vearum datur concurſus, ibi major promptior & acutior percipitur guſtatus, quod in linguæ apice comprobatur.

Ad ſecundùm famur *guſtationem fieri, quoties corpus, quod vulgò ſapidum dicitur, ſalivali humore ſolutum ſeſe intra linguæ poros inſinuans dictas nerveas papillas offendit, eáſque aut titillat, vellicat, mordet, aut pungit, ſtringit & irritat, aut alio quovis modo afficit*, impreſſio ſeu idem affectus *per ſpiritus in papillis nerveis undulantes cerebro* communicatur, ibidémque *ab anima percipitur*, dijudicatúrque; diverſitas autem impreſſionis in papillas nerveas facta oritur, vel ex *varia particularum ſalino-♀rearum* ſicque *corporis ſapidi configuratione*, vel ex *diverſa linguæ ejúſque pororum ſtructura.*

*Ad tertiùm* de ſaporibus & modò linguam afficiendi, quod attinet, dicimus *duo ſaporum dari genera*, ſcilicet unum *ſuavem*, qui dicitur dulcis, & *inſuavem*, qui varius, amarus nempe, ſalſus, acidus, acerbus, acris, auſterus, adſtringens, &c. dicitur.

*Suavis* autem ſapor fit, *quando corporis comeſti particulæ Salino-Sulphureæ ita cum poris linguæ & papillarum nervearum* per tunicam diſſeminatarum *proportionem naſciſcantur*, ut invicem in figura fermè conformentur, & propterea linguam & papillas nerveas *leviter* tangentes hanc *commodè leniant, demulceant leniter placidéque afficiant.*

*Inſuavis* verò ſapor oboritur, cùm *ciborum corpuſcula Salino-acida, vel Sulphureo-acria, ita poris linguæ ac papillarum nervearum ſunt difformia*, ut illas ſubintrando, *aut pungant, mordeant, acutè vellicent, diſtendant, incidant, dilanient, diſcerpant aut reſtringant*, quapropter ex diversâ affectione à particulis figurâ diverſis tactu vario in papillis nerveis inductâ, *varius* ac diverſus reſultat *ſapor*, proùt enim *papillæ nerveæ leviter aut fortiter* in lingua feriuntur, ſpiritus variè alterati *vel magìs vel minùs celeriter* versùs cerebrum percurrunt, hinc ab anima vel *ſuavis* vel *inſuavis ſapor* percipitur, ac dijudicatur.

LIBER

# LIBER IV.

## *De Artubus & Muſculis totius Corporis.*

### §. I.

### *De Artubus ſuperioribus.*

DIviſionem humani corporis obſervaturis, de artubus nobis jam dicendum eſt, ſunt verò artuum alii *ſuperiores*, alii *inferiores*, ſuperiores *manus*, inferiores *pedes* vocantur. Eſt igitur manus *organum organorum, quo homo donatur*, ne brutis inferior ſit, ſed dum arma aliáque inſtrumenta ſibi parat, manibúsque dirigit, *illa vincat ac dominetur*, quare ſecùs quàm bruta rationem & manus accepit homo.

*Sunt* autem homini *manus binæ & geminæ*, ut altera alteri in ſubſidium venire, & unâ languente, altera alterius vicem ſupplere poſſit; Intelligimus autem per manum non tantùm cum vulgo *manum ſummam*, ſed id totum, quod *à ſummo humero usque ad digitos extremos extenſum* propendet, & ſic dividitur primò *in brachium*, & *extremam manum*, brachium ſubdividitur *in humerum ſive brachium ſtrictè ſumptum*, & *in cubitum*, brachium itaque ſtrictè ſumptum eſt pars illa, quæ *à ſummo humero uſque ad cubiti flexuram* extenditur, ubi cernitur ſub humeri articulo cavitas; quæ *Axilla* ſive *Ala* vocatur, hîc ſub panniculo carnoſo latent *tres glandulæ magnæ* juxta vaſorum divaricationes poſitæ, ab aliis *cordis emunctoria* putatæ; *Cubitus* verò à flexurâ *uſque*

*ad carpum* porrigitur: *Extremam* autem manum dividimus *in brachiale*, ſive *carpum*, *poſtbrachiale ſeu metacarpum*, & in digitos; *carpus eſt* pars inter *cubitum & palmam*, *metacarpus* eſt pars *inter carpum & digitos*, pars interna *palma ſive vola manûs* pars externa *dorſum manûs*, manus verò contracta & clauſa *pugnus* vocatur, digitorum articulationes *internodia* nominari ſolent.

In vola manûs obſervantur *monticuli*, & *lineæ*, monticuli ſunt *prominentiores*, & *carnoſiores internæ manûs partes*; ſic initium manûs aliquantulum extuberans, radix manûs vocatur, monticulus pollici ſubſtratus *mons martis*, qui indici adhæret, *mons Jovis*, qui medio digito, *mons ſaturni*, qui annulari, *mons ſolis*, qui verò minimo *mons veneris* dicitur, *ſpatium verò* quòd inter pollicem & indicem intercedit *Mercurio*, hypothenar autem *Lunæ* dicatus mons eſt.

*Lineæ* in volâ manûs *multæ ſunt*, ex quibus Chyromantici ridiculâ ſane conjecturâ multa præſagia pollicentur, inter eos autem *tres præcipuè* conſiderantur; ùt prima, *pollicis ambitum* circumſcribens, quæ *linea vitæ* ſeu *temporalis* nuncupatur, ſecunda *transverſim* per mediam volam delata uſque ad *lunæ montem* extenſa, *Jecoraria* & *naturalis* dicitur, tertia à minimo digito ad indicis articulum porrecta, *Menſalis*, *thoralis* & *veneris linea* appellatur.

## §. 2.

## De Digitis.

P*Artem manûs* utpote organi ſenſorij præcipuam conſtituunt *digiti*, ſive eorundem in tenendis *robur*, ſive in motibus miranda *varietas* & *ſtupenda agilitas* conſideretur, digitorum itaque, græcis *dactili* dictorum in quâvis manu *quinque* ſunt, longitudine & craſſitie inter ſe differentes; Horum itaque primus craſſus, roboréque cæteris omnibus æquipollens, *Pollex* nominatur; ſecundus ab uſu *index*, & *demonſtrator* dicitur, quoniam eo in rebus demonſtrandis & indicandis uti ſolemus; Tertius, qui medius & longiſſimus eſt, *impudicus* vocatur; Quartus *annularis* & medius, quia annulo aureo ante alios ornari ſolet; Quintus autem à parvitate minimus & etiam *auricularis* dicitur, quia aurium ſordes eôdem expurgantur.

Di-

Digitorum extremitatibus exterius impoſiti ſunt *ungues*, quorum pars poſterior albicans radix *unguium & lunula* vocatur, maculæ autem in unguibus albæ ſubinde apparentes, *mendacia*, loca verò ſub unguibus abſcondita *cryptæ* vocantur.

Sunt autem ungues *partes corneæ extremis digitis manuum pedúmque impoſitæ, tranſpicuitate & pelluciditate donatæ, ideóque variè coloratæ*, nam pro ratione carnis ſubjectæ, vel *rubent vel livent &c.* Hinc Hypocrates ſect. 8vâ aphoriſſm. 12. ait, *ungues nigri &c. mortem proximam eſſe* portendunt, hinc Medici unguium colores obſervare ſolent.

*Subſtantiam* habent ungues *mediocriter duram*, ut reſiſtant, ſed tamen *flexilem*, ut non nihil cedant, & non frangantur, craſſities eorum varia eſt etiam in uno eodémque ungue, craſſiſſimi enim ſunt *versùs extremitatem*, ſive ea in parte, quæ reſecari ſolet, & econtra *tenuiſſimi & acutiſſimo ſenſu* prædîti ſunt *in radice*, ſive ea in parte poſteriore, quæ ſub cute abſconditur, quia, ùt docet Anatomia, omne vaſorum genus ibidem concurrit, quare *& nutriri ungues* antiquis omnino fuit indubitatum; Itaque Galenus Lib. 2. de adminiſtrationibus anatomicis capit. ultimo ait: unguibus arteriæ, venæ, nervi in radice junguntur *in gratiam vitæ ſensûs & nutrimenti.* Hypocrates verò Lib. de natura pueri textu 16. & Lib. de alimento capit. 4. ait, *ſentire ungues* quidam negant, quia eos *ſine dolore* quotidie reſecamus, quidam verò affirmant, quia exſectione illius partis, quâ carni adhærent, *maximum dolorem* percipimus, ergo diſtinguendum eſſe judicamus, unguis ergo *quâ unguis* maximè verò *in extremitate ſuâ non ſentit*; quâ autem vaſis inſeperabiliter adhæret, ſcilicet *in radice acutiſſimo pollet ſenſu.*

*Unguium* finis & uſus eſt, primò *digitorum vaſa & partes mollisſimas tueri, & iis duritie ſuâ munimento eſſe*, ut commodiùs, meliùs, & faciliùs objecti duri apprehenſio fieri queat. Secundò ad *fricandum*, *ſcalpendum* & *defendendum facere.* Tertiò *Medicis vitæ ſanitatisve indicia præbere*, & ad ornatum ſaltem aliquid conferre.

## §. 3.

## *De Artubus inferioribus.*

ARtus ſuperiores ordine ſequuntur artus inferiores *nempe pedes;* ſicut enim ad *apprehenſionem* manus, ſic ad *ſtationem & ambulationem* homini pedes dedit ſummus rerum Conditor, qui ad majorem commoditatem & greſſûs firmitatem, *longi*, *latíque*, *ac ſubtùs in medio aliquantulum cavi*, variisque articulis diſtincti ſunt.

Eſt autem pes in genere totum id, quod *à natibus*, nempe ab oſſe Iſchios ſive coxendicis articulo *ad extremos uſque digitos pedis* extenditur, dividitúrque in ſuas partes ſicut manus, non abſimili prorſus comparatione, ſcilicet *in femur*, *tibiam* & *parvum* pedem, parvus verò pes rurſum dividitur in *tarſum* ſeu *pedium*, in *metatarſum* ſive *metapedium* & in digitos.

Femur *à coxendicis articulo ad primam inferiorem* articulationem uſque procedit, quæ anteriori parte *genu*, poſteriori parte *poples* appellatur, in hujus ſumitate ad flexuram *Inguen* eſt, in quo utrinque latet *famoſa glandula* ex minoribus glandulis compoſita, quæ olim *Epatis emunctoria* eſſe credebantur.

*Tibia ſumpto à genu initio ad calcem uſque fertur*, cujus anterior & durior pars in ſuperficie *tibia*, poſterior carnoſa pars *ſura* nominatur, duæ verò inferiores laterales prominentiæ *Melleoli* dicuntur. Hic *internus* ille *externus vocatur : Parvus pes eſt baſis, cui totum corpus inſiſtit*, dividitur *in pedium*, *metapedium & digitos*

Pedium, cujus pars poſterior *calx ſive calcaneum* vocatur, hoc conſtat *ſeptem;* metapedium verò *quinque oſſibus*, digiti ſinguli *tribus*, *& oſſibus ſeſmoideis*, excepto pollice, ùt in explicatione ſceleton videbitur: Mollibus etiam horum digitorum extremitatibus ad tutelam impoſiti ſunt *Ungues*, ejusdem ſubſtantiæ, naturæ & uſûs proùt in manibus ſunt, de quibus ſupra egimus.

Uſus Pedum eſt *ſtationis & ambulationis eſſe inſtrumentum*, quia verò hoc fit per motum & firmationem, hinc omnino neceſſarium fuit, ut eſſent *bini pedes*, neque enim corpus de loco in locum

trans-

transferri poſſet, *niſi pede altero quieſcente & corpus fulciente, altero interea promoto*, cùm verò motus tam manuum quàm pedum, hinc omnium corporis partium à muſculis dependeat, igitur modò de muſculis totius corporis agemus.

## §. 4.

## *De Muſculis Capitis.*

IGitur de muſculis acturi ordo & ratio poſtulat, ut *de capite* initium faciamus. Quare Caput vel *primariò* per muſculos ſibi proprios, vel *ſecundario* ſcilicet ope *muſculorum colli* movetur; & hoc ideò, quia caput arctiſſimè connectitur *cum prima colli vertebra*, unde muſculi ad primam ſpectantes vertebram, etiam *inter muſculos capitis* numerari ſolent.

*Propriorum ergo capitis muſculorum octo ſunt paria*, per quos capitis motus perficitur, ex his *duo paria* caput *flectunt* ſeu *antrorſum* agunt, quatuor *extendunt*, *ſive retrorſum trahunt*, *duo circumagunt*, ſeu obliquè ad latera ducunt.

Itaque *flectentes* ſeu *antrorſum* caput moventes ſunt muſculi *duo maſtoidei*, & *duo interni recti* dicti, *Muſculi Maſtoidei* in parte colli anteriore ſunt ſiti, oriuntur *à ſterno* ex *parte anteriori clavicularum* gemino inter ſeſe diſtante principio, ſed his deinde junctis aſcendunt per collum & *Apophyſi oſſis Maſtoidis*, hinc oſſibus temporum, & lateribus oſſis occipitis inſeruntur.

*Muſculi duo interni recti* ſub æſophago ſunt ſiti, oriuntur nervoſis principiis *à transverſis vertebrarum proceſſibus*, deſinúntque in *capitis baſim* inter utrumque proceſſum, quo caput cum *Athlante* articulatur.

Muſculi caput *extendentes* ſunt *quatuor paria*, ſive utrinque quatuor, nempe *ſplenius*, *complexus*, *rectus major*, *& rectus minor*; ſplenii à ſpinis quinque vertebrarum ſuperiorum thoracis exoriuntur, indéque per cervicis ſpinas ſurſum delati *occipiti implantantur*, *complexi* à variâ fibrarum intricatione nomen habentes *ſub prioribus* collocantur, originem ducunt *à proceſſibus verte-*

*brarum inferiorum* colli, & aliquorum ſuperiorum dorſi, & in medium *occipitium* versùs proceſſus mamillares expanduntur.

*Remotis his muſculis ſequitur utrinque rectus major*, qui *à ſecunda cervicis vertebræ ſpina* oritur, & eminentiori parti *occipitis* implantatur, ſub muſculo recto majori utrinque *muſculus rectus minor* latitat, qui initium ſumit *à primæ cervicis vertebræ* tuberculo, penésque eundem in præcedentis terminum finitur.

*Uſus horum* muſculorum eſt *movere caput retrorſum & cervicem erectum tenere.*

*Succedunt* in utroque latere duo *muſculi obliqui*, caput *circumagentes*, ſeu obliquè ad latera trahentes.

*Obliqui ſuperiores* è medio occipite juxta latus externum muſculorum rectorum majorum exorti, obliquè deſcendunt ad apices transverſorum proceſſuum primæ vertebræ iisdémque transverſim inſeruntur.

*Muſculi obliqui inferiores* econtra *à ſecundæ cervicis vertebræ ſpina* enati obliquè aſcendunt, & in proceſſum transverſum ſupernæ vertebræ excurrunt.

## §. 5.

## De Muſculis Colli ſeu Cervicis.

MUſculos capitis ſequuntur muſculi *colli ſeu cervicis*, qui muſculi primariò *collum*, ſecundariò verò *caput* movent, horum *octo ſunt ſive utrinque quatuor, nempe longus, ſcalenus, transverſalis, & ſpinatus*, quorum ope collum versùs *anteriora*, *latera*, & *poſteriora* movetur, duo primi longus & ſcalenus *flectunt*, duo reliqui transverſalis & ſpinalis *extendunt collum rectà*, ſi in utroque latere ſimul agant, *obliquè* verò, ſi alteruter eorum ſeorſim agat.

*Primi itaque duo longi* ſub æſophago latitant, & hi *à quinta* vel *ſexta thoracis* vertebra anteriùs, quâ coſtis jungitur carnoſi enati ac ſurſum aſcendentes tendine acuto in *primæ cervicis vertebræ* proceſſum & ſubinde in *occiput* deſinunt.

Se-

*Secundi ſcaleni ſunt*, qui latera magis occupant, *à claviculâ*, & *à primâ coſta* prodeunt, & ſurſum aſcendendo omnium cervicis vertebrarum transverſis proceſſibus affiguntur, & internè inſeruntur, habent hi muſculi *foramen peculiare*, per quod *arteriæ* ad brachium deſcendentes & *venæ* ab eodem aſcendentes tranſeunt.

*Tertii ſunt duo transverſales* in dorſo ſiti, hi à ſuperiorum thoracis vertebrarum transverſis proceſſibus exorti in omnes proceſſus transverſos vertebrarum cervicis externâ ſede terminantur.

*Quarti* ſunt *duo ſpinales*, hi totam cervicem inter ſpinas occupant, oriuntur à ſeptem ſuperiorum thoracis & quinque vertebrarum colli ſpinis, ac in totam interiorem ſedem ſpinæ vertebræ ſecundæ implantantur, atque unâ cum transverſalibus cervicem ſive collum ad poſteriora ſive obliquè flectunt.

## § 6.

### *De Muſculis ſcapularum.*

M*Uſculos cervicis ſeu colli* ſequuntur muſculi reſpirationi dicati, nempe *muſculi pectorales* ſive *thoracis* dicti, & *muſculi intercoſtales*, item *muſculi abdominis*, ſed de his ubi de abdomine Lib. 1. & de illis Lib. 2. §. 3. tractatu de thorace actum eſt, igitur in præſenti paragrapho de muſculis *ſcapulæ* jam *dorſi & lumborum* deſcriptionem faciemus.

*Scapula* itaque præterquam, quòd ab humeri & brachii muſculis per accidens moveatur, etiam peculiares habet motus, puta *antrorſum*, *retrorſum*, *ſurſum*, *& deorſum*, *qui* quatuor muſculorum beneficio nempe *ſerrati*, *antici minoris*, *trapeſii ſive cucularis*, *Rhomboides*, & *lævatoris* perficiuntur.

*Primus* ergo *ſerratus anticus minor* dictus, muſculo pectorali ſubſtratus eſt, à coſtis quatuor ſuperioribus oritur, & ſcapulæ ad *proceſſum coracoidem* inſeritur, eámque antrorſum ad thoracem adducit.

*Secundus Trapeſius* uſitatiùs verò *cucullaris* dictus cum ſuo pari dorſum tegens, Monachi cucullum aliquo modo refert, ortum ſumit

mit *ab occipite* è ſinu propè aurem, nec non *à ſpinis quinque vetebrarum cervicalium*, atque ſuperiorum vertebrarum thoracis, tandem versùs ſcapulam anguſtatus procedens in ejusdem totam ſpinam, ad ſummum humerum & ad claviculæ latiorem partem implantatur, hic ſcapulam propter varium exortum, variasque fibras diverſimodè movet, *ſurſum*, *deorſum rectè & obliquè*, proùt modò hæ, modò illæ fibræ contrahuntur.

*Tertius Rhomboides* dictus à figura quadrilaterali ſub cucullari ſitus, eſt *tenuis & latus*, hic emergit à ſpinis trium vertebrarum inferiorum colli, & trium ſuperiorum thoracis, atque in externam baſim ſcapulæ inſeritur, eámque *obliquè*, *ſurſum*, & ad *poſteriora* trahit & dorſo applicat.

*Quartus levator*, etiam *patientiæ* muſculus dicitur, quia elevant hi ſcapulam, quibus è voto res non ſuccedunt, hic à transverſis proceſſibus, ſecundæ, tertiæ & quartæ vertebræ colli, diverſis principiis circa medium coeuntibus prodiens, lato & carnoſo tendine ſcapulæ angulo elatiori & inferiori infigitur, eámque *ſurſum versùm anteriora* trahit & cum *humero attollit*.

*His* ergo mediantibus muſculis ſcapula quævis *per ſe* & brachium *per accidens* movetur, & viciſſim ſcapula *per accidens* à brachij muſculis propriis movetur.

*Scapulis* annectuntur *claviculæ*, quæ quidem *immobiles* eſſe videntur, non autem revera ſunt, quod quilibet vel in ſe ipſo poterit experiri, quoties enim ſcapulæ ſurſum elevantur, toties & ipſæ claviculæ attolluntur, hanc ergo ob cauſam claviculis *muſculus cucullaris* etiam inſeritur, ut illæ cum his ſimul moveantur, quia verò clavicula unà cum ſcapulâ motâ denuo in ſuum locum reponi neceſſe fuit, igitur à naturâ ad hoc peculiaris muſculus conditus eſt, & hic vocatur *muſculus ſub ſcapularis*, hic verò *à ſcapulis* ortus in claviculæ partem humiliorem, quâ reſpicit coſtam propè acromium proceſſum affigitur.

## §. 7.

### *De Muſculis Dorſi & Lumborum.*

A Muſculis anticâ thoracis parte, ad illos, qui pectoris poſteriorem partem occupant, transgredimur, & hi dorſi & lumborum muſculi in genere vocantur. Mo-

Movetur autem ſpina dorſi *antrorſum*, *retrorſum*, ad *latera*, *& circulariter*, proùt in hyſtrionibus infinitos dorſi motus videre licet, & quidem beneficio quatuor *muſculorum parium*, ubi notandum eſt, quòd ſi *alteruter muſculus tantùm* agit, ſpinam *in latus* moveri, ſin autem *totum par*, ſpinam dorſi *flecti vel extendi*. Horum autem in ſpecie

*Primum par quadratum* appellatur, quod conſtituunt duo muſculi *triangulares*, qui ſimul juncti quadraturam aliquo modo exprimunt, hi ſunt *lati & craſſi* ab oſſis *Illii* cavitate poſticâ ſuperiore, & *oſſis ſacri* parte laterali internâ proſiliunt, abhinc in transverſas vertebrarum apophyſes uſque ad ultimam coſtam carnoſi inſeruntur, atque *lumborum vertebras antrorſum vel ad latera* flectunt.

*Secundum par longiſſimum* dicitur, & oritur ab extremitate *oſſis ſacri & Illii :* & ſecundùm longitudinem ſpinæ uſque ad proceſſus mamillares propè oſſa temporum extenditur, & ſingulis vertebrarum lumbalium & proceſſibus dorſi tendines largitur, ac cum muſculis *ſacro lumbo* & *ſemiſpinato* uſque ad infimam dorſi vertebram fermè deſcendit, hinc multi iſtos tres muſculos *pro uno tantùm* habent.

*Uſus* ejus eſt *thoracem*, *lumbos & eorum vertebras extendere.*

*Tertium* par huic ſubjectum *par ſacrum* appellatur, quia ab *oſſe ſacro* poſterius oritur, & in duodecimæ vertebræ thoracis ſpinam, & in lumbalium quoque vertebrarum ſpinas & in obliquos proceſſus variis tendinibus finitur: Uſus eſt *priorum actionem adjuvare.*

*Quartum par ſemiſpinatum* nuncupatur, oritur hòc ubi præcedens deſinit, & omnes vertebrarum ſpinas amplectitur, & deſinit in primæ thoracis vertebræ ſpinam: Uſus ejus eſt *thoracem erigere.*

Poſt muſculos dorſi & lumborum artuum muſculi à nobis deſcribendi ordine veniunt, qui & in artubus ſuperioribus & in inferioribus alii inveniuntur. Quorum illi brachii, ſeu humeri muſculi vocantur.

## §. 8.

### *De Muſculis Brachii & Humeri.*

S*Uperior* ergo brachii pars eſt illa, quæ *à ſummo humero ad cubitum uſque* pertingit, & variè movetur, *antrorſum* nempe, *retrorſum*, *ſurſum*, *deorſum*, & in *gyrum*, & hi motus *novem muſculorum* beneficio perficiuntur.

*Quorum primus pectoralis* dicitur, quia pectoris vel thoracis anteriorem partem occupat, éſtque *magnus & carnoſus*, oriturque ex *oſſe pectoris* fermè toto, & annexis cardilaginibus, ubi parum tendinoſus eſt, ex parte claviculæ, & à coſtis veris, in *quinta* nempe, *ſexta* & *ſeptima* implantatur, & tendine brevi, lato, nervoſo & robuſto *in os brachii* inter muſculum deltoidem & bicipitem inſeritur: Uſus hujus muſculi eſt *brachium pectori admovere*, & hic ille muſculus eſt, qui patitur *in torturis*, valde enim diſtenditur & divellitur, dum brachia fortiſſimè retrò trahuntur.

*Secundus dicitur deltoides* ſeu *triangularis humeralis*, oritur ex claviculæ media parte ſcapulam ſpectante & itidem ex ſummo humero, inſeritur carnoſo fine in medium humeri, in quo robuſto tendine latet.

Uſus eſt *brachium ſurſum attollere*, in hujus *mediâ parte* ordinariè *fonticuli* aperiuntur.

*Tertius à magnitudine latiſſimus dorſi* appellatur, quia totum fermè dorſum cum ſuo pari tegit, ab uſu autem ani *aniſcalptor* dicitur, eò quòd brachium *retrò* atque *deorſum* trahit.

Oritur hic membranoſo latiſſimóque principio ab apicibus vertebrarum ſpinæ inter os ſacrum ſitarum, nec non à ſuperiore Illii oſſis parte, hinc ad ſcapulæ baſin aſcendit, & tandem brevi ſed lato tendine inter pectoralem & rotundum muſculum brachio inſeritur, *illúdque etiam deorſum trahit.*

*Quartus dicicur Rotundus major & carnoſus*, parte poſteriore ſub axilla locum habet, hic carneo principio à tota inferiore ſcapulæ coſtâ pronaſcitur, inde brevi ſed valido tendine in brachii os paulò infrà cervicem deſinit, *brachium intrò ac ſimul deorſum trahit.*

*Quin-*

*Quintus à ſitu muſculus transverſalis brevior*, à forma verò *rotundus* nuncupatur, hic ab infimo ſcapulæ angulo exſiliens, in brachii cervicem producitur, *& motum Rotundi majoris adjuvat.*

*Sextus infraſpinatus*, ſive etiam ab aliis *ſupraſcapularis inferior* appellatur, quia totam exteriorem ſcapulæ partem, quæ ſub ſpina eſt, tegit, hic à ſcapulæ baſi infra ſpinam exoritur, & lato ſed brevi tendine, humeri ligamento articulum continente extrinſecus inſeritur, *& brachium ad exteriora circumagit.*

*Septimus ſupraſpinatus ſeu ſuperſcapularis* vocatur, hic è ſcapulæ baſi enaſcitur, & totam cavitatem inter ſpinam & coſtam ſcapulæ ſuperiorem implet, lato & valido tendine articulum ſuperante obliquè cervici inſeritur, *& brachium cum priore circumducit.*

*Octavus ſubſcapularis ſeu immerſus* dicitur, hic carnoſus eſt valde, & inter ſcapulam & coſtas habitat, & occupat partem internam ſapulæ; Inſeritur verò lato tendine in humeri ligamentum internè, & *brachium introrſum circumagit.*

*Nonus perforatus coracoides*, etiam *Coracobrachiæus* dicitur, qui brevi, nervoſóque principio à ſcapulæ proceſſu coracoide incipiens, robuſto tendine ad medium fermè brachium anterius excurrit, *illúdque antrorſum pectori adducit*, hujus venter perforatus eſt, & tranſitum præbet nervis, qui ad cubiti muſculos diſtribuuntur.

## § 9.

## *De Cubiti Oſſibus ſcilicet ulnâ & radio.*

Cubitus duobus conſtat oſſibus, *ulnâ* nempe & *radio*, ulna *quatuor muſculorum ope* movetur, *flectitur* nempe *duobus muſculis flexoribus* internâ & anteriore brachii parte ſitis, & *extenditur* quoque *duobus extenſoribus* poſteriorem brachii partem occupantibus, illi ſunt muſculi *biceps & brachiæus*, hi verò *longus & brevis.*

*Biceps* ergo gemino validóque principio oritur, altero exteriore & nerveo, à ſuperiore parte acetabuli ipſius ſcapulæ, altero verò partim nerveo, partim carneo, à ſcapulæ Apophyſi coroide exorto,

to, quibus principiis dein unitis, corpore ſuo brachii internam ſedem occupat, & craſſo tendine in caput ſeu prominentiam interiorem inſeritur.

Secundus *Brachiæus* prædicto ſubſternitur, eóque brevior, ſed totus carnoſus eſt, & à media parte oſſis brachii procedens deſinit in radium & cubitum, quâ parte ſimul connectuntur, hic *cum priore cubitum arctiſſimè flectit.*

Extenſorum primus *longus* dicitur, qui valido latóque & gemino emergit principio, *uno ſublimiore* ab Omoplatæ coſta inferna, *altero verò humiliore*, quibus junctis, ſub capite in oſſis humeri *olicrano* ſeu cubiti ſummo exterius terminatur.

*Brevis* è cervice poſticâ humeri exortus, in illam *olicrani partem*, ubi connectitur cum præcedente, deſinit, hinc una cum muſculo longo, unicum robuſtum ac nerveum tendinem efficit, quo mediante *brachium extenditur.*

*Os Radii* quatuor æquè movent muſculi, quorum *duo interiores* radium *introrſum* movent, & *Pronatores* dicuntur, *duo verò exteriores ſupinatores* vocati eundem *extrorſum* convertunt.

*Primus Pronatorum*, qui ſuperior eſt, à forma *rotundus* ſeu *teres* dicitur, hic ab interiori parte tuberculi humeri productus, tendine membranoſo ad radii ferè medium decurrit.

*Secundus pronatorum*, qui inferior eſt, *quadratus* dicitur, ab ulnæ interno latere transverſim extenſus, ſupra ligamentum quod radium cubito connectit, progreditur, radiiſque internæ parti committitur.

*Primus ſupinatorum*, qui *longior* dicitur, ab extremo humeri tuberculo exoritur, & ad radii apicem interiorem deſcendit.

*Secundus brevior & tenuis eſt*, & è brachii externa apophyſi emergens, propè radii medium terminatur.

## §. 10.

### *De Muſculis carpi & volæ manûs.*

CUbiti muſculos inſequuntur *carpi & volæ manûs* muſculi, carpus igitur *extenditur*, *flectitur* & *lateraliter movetur* beneficio *quatuor muſculorum*, ex quibus duo ſunt *interni*, & totidem *externi*.

Pri-

Primus internorum *cubitæus internus* vocatur, hic oritur à brachii Apophyſi, & craſſo tendine quinto oſſi carpi implantatur.

Secundus *Radiæus internus* nuncupatur, ab eodem fermè loco cum priori educitur, & in os metacarpi indicem ſuſtinens deſinit; *hi duo manum contrahunt.*

Externorum verò carpi, primus eſt *Radiæus externus*, ſive *bicornis*, hic lato & gemino principio à brachii acumine oſſeo, ejúsque condillo externo procedens, radio carnoſus innititur, & duplici tendine in os metacarpi infigitur, primum nempe & ſecundum.

Alter *cubitæus externus*, ab externa Apophyſi brachii enaſcitur, ac per cubitum delatus in quartum os metacarpi inſeritur, & *hi duo manum extendunt.*

Modò demonſtrandus occurrit *muſculus palmaris*, qui omnibus fermè muſculis *manûs interioris* ſubſternitur, originem hic ſumit ab interno humeri tuberculo, carnoſus in principio exiſtens, mox in gracilem tendinem attenuatur, & ligamentum annulare carpi ſupergreſſus, rurſum dilatatur, & in membranam nervoſam per volam manûs uſque ad digitorum confinia expanſam, cuti adeò tenaciter affixam tranſit, ut difficillimè ab ea ſeparari queat, hic muſculus *cutem volæ manûs corrugando apprehenſionis firmitatem præſtat, eámque eximio ſenſu dotat.*

## §. II.

### *De Muſculis digitorum manûs.*

MUſculos digitorum modò delineaturi, *à Pollice*, qui robore cæteris digitis æquipollet, initium faciemus; Pollex igitur *duorum muſculorum* beneficio *extenditur*, *duobus flectitur*, *tribus adducitur*, & rurſum *duobus abducitur.*

*Extenſores* ab exteriore cubiti latere oriuntur, quorum unus ad *tertium uſque internodium* pertingit, alter carpum prætervectus in *primum & ſecundum pollicis articulum* duplici tendine extrinſecus inſeritur.

*Flectentium* alter à ſuperiore radii parte enatus, ad *primum & ſecundum pollicis internodium* excurrit, alter verò minor ab

oſſe carpi procedens, alteri ſubijcitur, & *in medium pollicem* extenditur.

*Adducentes* versùs alios digitos, ex tribus oſſibus internis metacarpi prodeuntes, in *pollicis primum & ſecundum os* inſeruntur.

*Abducentes* versùs exteriora, alter à parte interiore oſſis carpi porrectus, in *ſecundum internodium pollicis* membranoſo tendine inſeritur, alter verò ſpatium, quod *inter pollicem & indicem eſt*, occupat, & à poſteriori ſede oſſis metacarpi oritur, & in *pollicis internodium primum*, totíque externo ejus lateri implantatur.

*Digiti reliqui ad robur, varióſque motus;* etiam multiplices varióſque obtinuerunt muſculos, quibus *flectuntur*, *extenduntur* atque ad *latera moventur.*

Flectit digitos *muſculus ſublimis*, *profundus*, & *lumbricalis*, *ſublimis* etiam *perforatus* dicitur, ab interno oſſis humeri tuberculo exortus, & circa carpum in quatuor tendines diviſus & hic in *ſecundum digitorum internodium* inſeritur.

*Profundus* à partibus ſuperioribus cubiti & radii paulò infra articulum emergit, hinc partitus robuſtis tendinibus *tertio digitorum oſſi* implantatur.

*Lumbricales* appellati tenues ſunt, *à muſculi profundi* tendinibus orti in *primum digitorum internodium* rotundo tendine, cùm interoſſeorum tendinibus commixto deſinunt, interdum per latera digitorum uſque ad *tertium internodium* excurrunt, & digitos *lateraliter* flectunt.

Digitos extendunt *muſculi duplices*, *alii* communes, & alii *proprii*, communes omnibus quatuor digitis inſerviunt, & *bini* ſunt, ab extremo humeri tuberculo prognati, qui in progreſſu ſimul junguntur, & tendinibus unitis *ſecundo tertióque digitorum oſſi* firmiter annectuntur.

*Proprii* verò ſunt, qui unum tantummodò digitum extendunt, & horum *duo* numerantur.

*Primus* eſt *extenſor Indicis proprius*, etiam *indicator* appellatus,

latus, è mediâ & extremâ cubiti regione ortus, bifido tendine in *ſecundam articulationem* inſeritur, quorum tendinum alter cum tendine extenſoris communis coaleſcit.

Alter proprius eſt *extenſor minimi digiti*, qui à radii ſupernâ parte ortus, externè *in auricularem digitum* etiam duplici tendine implantatur, quorum unus etiam cum tendine communis extenſoris muſculi miſcetur, dantur inſuper *lateraliter moventes* muſculi proprii etiam *duo*.

Primus *adductor indici proprius*, ab interno pollicis internodio primò exſurgit, hinc in oſſa indicis deſinit, & *indicem versùs pollicem* adducit,

Alter *abductor* minimi digiti proprius, qui in volâ ex tertio & quarto carpi oſſe emergens in *articulum primum digiti auricularis* exterius ad latus inſeritur, eúmque *à reliquis digitis* abducit.

Denique digiti ad latera & versùs pollicem adducuntur, vel ab eo abducuntur, & id beneficio *octo muſculorum interoſſeorum* perficitur, quorum quatuor *interni* intervallum oſſium metacarpi obtinent, quatuor verò *externi* in palma manûs collocati prioribus incumbunt. Oriuntur à ſupernis oſſis Metacarpi partibus juxta carpum, deinde modò inter ſe, modò cum lumbricalibus coeuntes *lateraliter tria digitorum oſſa* tendinibus pereptant & uſque ad radicem unguium, ubi *antrorſum & ſupernè* in tendines coeuntes terminantur, ab his *medius* & *annularis* digitus *duos tendines*, item *Index* & *auricularis unum* accipiunt, & horum *muſculorum ac tendinum ope* adeò ſtupenda digitorum in motu *varietas & celeritas* perficitur.

## §. 12.

## *De Muſculis femoris.*

AB artubus ſuperioribus eorúmque muſculis ad inferiorum partium muſculos, ordine deſcribendos, devenimus, inter quos *femoris muſculi* primò occurrunt.

Femur itaque *flectunt*, *extendunt*, *adducunt*, *abducunt* varii muſculi, *flectentium verò tres* numerantur, quorum

Pri-

Primus eſt *lumbalis ſive Pſoas*, qui eſt verè, *teres craſſus & lividus* ac in abdominis cavitate ſitus.

Oritur carnoſo principio circa duos inferiores thoracis, & tres ſuperiores lumborum vertebras, & per oſſis Illii interiorem faciem deſcendens tereti validóque tendine in *rotulam femoris minorem è latiore parte anterius* inſeritur, ac femur *valde ſurſum* trahit, quia autem huic muſculo inſigni nervo prædito *renes incumbunt*, eo loco, ubi nervus ingreditur, hinc fit, ut calculo in rene exiſtente *ab illius preſſione ſtupor in ejusdem lateris femore, ac ſubinde in crure perſentiatur;* hîc annotârunt aliqui Anatomici etiam exiguum muſculum, *parvum Pſoas* vel parvum lumbalem dictum, illum complectentem & in ſua ſede continentem.

*Secundus* eſt *illiacus internus*, qui tenui & craſſo principio in oſſis Illii interna cavitate exortus tendine ſuo lumbali jungitur, & inter *magnum & parvum trochanterem* antrorſum deſinit.

*Tertius* eſt *Muſculus pectineus*, qui lividus eſt à parte ſuperiori oſſis pubis, ad commiſſuram juxta ejus cardilaginem carnoſus & latus proſiliens, brevi latóque tendine *femoris lateri internè implantatur*, & ad poſteriora uſque progreditur, quo mediante femur *validè ſurſum & introrſum* flectitur, ſicque femur unum, alteri ſuperimponitur, unde à Bartholino ad muſculos adducentes refertur.

*Extendunt* femur *tres muſculi, glutæi dicti*, qui nates conſtituunt, & etiam inſerviunt *ad retrogrediendum*, quorum

*Primus* eſt *glutæus major*, à Coccyge, & ſpinâ oſſis ſacri, & oſſis Illii coſtâ, carnoſus admodùm enatus, quatuor dein digitis infra magnum trochanterem valido tendine deſinit.

*Secundus glutæus medius*, hic primò magnâ ex parte ſubſternitur, hinc à coſta & dorſo oſſis Illii anteriori Regione carnoſus exiens, totámque fermè oſſis Illii Regionem occupans lato validóque tendine in trochanteris majoris anteriorem & elatiorem partem implantatur, ac eam undique cingit.

*Tertius glutæus minor*, qui totus ſub ſecundo latet, & hic etiam ab oſſis Illii dorſo, ejúsque ſede poſteriore ac inferiore carnoſus

noſus procedit, & lato robuſtóque tendine etiam trochanteris majoris parti interiori & apici inſeritur.

*Adducitur femur introrſum* Muſculo *triplici*, vel potius *quadruplici*, éſtque omnium muſculorum *craſſiſſimus*, cujus ſingulæ partes, ùt ortu & inſertione, ſic fibris & aliquantulum etiam uſu variant, qua de cauſâ ab aliquibus in quatuor muſculos diviſus deſcribitur.

*Pars igitur ejus* prima, principio nervoſo ab oſſis pubis lineâ ſuperiori oritur & in femoris lineam aſperam inſeritur.

*Secunda procedit* ab imâ oſſis pubis commiſſurâ, & deſinit rurſum in femoris lineam aſperam, ſed parte ſuperiore.

*Tertia* à tota coxendicis interna parte emergit, & in femoris poſticam lineam aſperam ſub Rotatore minori implantatur.

*Quarta* pars à coxendicis apice enata, teretri tendine in femoris tuberculum internum inferiùs finitur.

*Abducitur femur in latus externum* beneficio muſculorum *quatuor exiguorum*, *quadrigeminorum* dictorum, qui fermè ſibi invicem ſimiles ſunt, & in parte poſticâ ſupra femoris articulationem alternatim collocantur.

*Primus & ſuperior* horum à formâ *Pyriformis* à ſitu verò *illiacus externus* nominatur, & ab imo oſſis ſacri procedit.

*Secundus* à tubere oſſis Illii.

*Tertius* huic contiguus ab eodem loco exſurgit, & omnes illi tres in trochanteris cavitatem inſeruntur.

*Quartus quadratus dictus*, cæteris latior & carnoſior tantiſper eſt, & duorum digitorum latitudine à tertio diſtat, exoritur ab interna parte tuberis Iſchii, & in partem externam trochanteris terminatur.

*Obliquè femur rotant* duo muſculi *Rotatores* appellati, qui foramen inter os pubis & Iſchium patens occupant, atque greſſum adjuvant, unus eſt internus & alter externus.

*Internus eſt validior*, & ab interna foraminis oſſis pubis circumferentiâ, carnoſus & latus procedit, & transverſim ſupra os coxendicis extrorſum delatus, trivido tendine magni trochanteris cavitatem ingreditur, *& rotationem externam facit.*

Externus pectineo muſculo ſubjacet, & ab oſſis pubis foramine in circumferentiâ externa carnoſus incipiens & per cervicem femoris velut per cochleam revolutus, in magni etiam trochanteris cavitatem amplo validóque tendine ſub muſculo quadrigemino implantatur, *& internam rotationem dirigit.*

## §. 13.

### *De Muſculis tibiæ.*

A *Femore* ad Tibiam progredimur, quæ tripliciter movetur, *flectitur* nempe, *extenditur* & *obliquatur.*

*Flectunt* tibiam *quinque muſculi*, quorum

*Primus longiſſimus & faſcialis* dicitur, anterius ſtatim ſub cute occurrens, ab interiore oſſis Illii tubere oritur nerveo & carnoſo principio, éſtque *gracilis*, & per interiora femoris inſtar *faſciæ* aliis muſculis inſtructus fertur, ac juxta genu in tendinem deſinit, qui in *anteriorem & interiorem partem* oſſis tibiæ in lineam acutam ſub genu inſeritur, hinc Riolanus hunc *non flectere*, ſed *potius extendere tibiam putat.*

*Secundus gracilis* vocatur, qui longiſſimo intrò accumbens in commiſſurâ oſſis pubis, nerveo amplóque principio enaſcitur, & per femoris anteriora excurrens, teretri tendine in partem tibiæ interiorem excurrit, ac implantatur.

*Tertius ſeminervoſus* à tubere Iſchii nervoſo, gracilíque principio exſurgens per femoris poſteriora *&* interiora obliquè deſcendit, ac tereti tendine in tibiæ poſteriorem ac interiorem partem deſinit, ejúsque tendo ad tibiæ medium excurrit.

*Quartus ſemi membranaceus*, qui ab eodem ſub præcedente loco egreſſus, tendine paulò latiore ad tibiam poſticam protenditur.

*Quin-*

*Quintus* eſt *biceps* ex eodem Iſchii tubere exortus, per externam femoris partem defertur, ac circa medium femur carneam molem, tanquam novum muſculum aſſumit, ſicque deorſum deſcendens inſigni tendine inferiùs in oſſis fibulæ proceſſum inſeritur.

*Extendunt tibia quinque vel ſex muſculi*, quorum

*Primus membranoſus* à ſuperna ſpina oſſis Illii acutus carnoſúsque interiore parte juxta femoris proceſſum majorem prodiens, abítque in membranam longiſſimam, quæ *faſcia lata* dicitur, fermè omnes femoris & tibiæ muſculos circumdans, ac in ſua ſede continens, atque ad extremum uſque femoris excurrit, miſcetur autem circa inſertionem cum tendinibus muſculorum ſequentium, & in tibiæ ac fibulæ partem anteriorem versùs externum latus implantatur, *tibiámque rectè extendit*, *& non nihil extrorſum ducit.*

*Secundus longus ſutorius & faſcinalis* etiam vocatur, ab appendice oſſis Illii anteriore ortus, & per interiora femoris obliquo ductu decurrens, ſub genu ad tibiam interiùs deſcendit, *eámque extendendo adducit.*

*Tertius rectus* dicitur, ab inferna ſpina oſſis Illii enatus, carnoſo teretíque ventre rectà ſecundùm longitudinem femoris decurrit, & forti ac rotundo tendine patellam includens, ſub eâ in tibiam deſinit.

*Quartus vaſtus internus eſt*, quia à cervice & Rotatore femoris minore ortus, tibiæ internæ paulò infrà patellam inſeritur.

*Quintus eſt vaſtus externus*, hic à Rotatore femoris minore exterius principium ſumens, amplo tendine in tibiam externè paulò infrà patellam inſeritur.

*His quinque* nonnulli addunt muſculum ſextum femori adhærentem *crureum* appellatum, cujus principium eſſe dicunt inter duos femoris rotatores, finem verò cum vaſtis muſculis ponunt.

*Notandum* eſt, quòd horum extenſorum *quatuor muſculi poſteriores circa genu ſint uniti*, ac ſimul *unicum muſculum commu-*

*munem* ac latum, validúmque tendinem efforment, quo *patellam involvunt*, & femoris tibiæque oſſa inſtar ligamenti validè colligant.

*Obliquat Tibiam Poplitæus*, latitans in cavo poplitis ab inferno & exteriore femoris tuberculo exortus, & obliquè in appendicis tibiæ ſuperioris partem poſteriorem & internam defertur.

## §. 14.

### De Muſculis Pedis.

A *Muſculis tibiæ* in pedis muſculos recta incurrimus, *flectitur* itaque pes & *extenditur*; Itaque flectunt antrorſum *muſculi duo*, quorum

Primus eſt *Tibiæus anticus*, qui tibiæ fixus & à ſuperno tibiæ proceſſu ortus, & in os pedii ante pollicem tendine circa finem bifido inſeritur.

*Secundus Perinæus biceps* vocatur, uno principio promanente à fibulæ ſupernâ Epiphyſi, altero à Peronis medio, hic æquè duplicem habet tendinem, minorem in minimi digiti os delatum, & majorem ſub plantâ obliquè incedentem, & inſertum in os pedii à regione Pollicis.

*Extendunt retrorſum poſtici quatuor*, *duo gemelli*, *internus & externus*, & hi ſuram conſtituentes *gaſtrocnemii* nuncupantur, & à femoris capite ſub poplite oriuntur.

*Tertius ſoleus* dictus his ſubditur, & iſte à priori fibulæ appendice exoritur, tres hi muſculi deſinunt in craſſiſſimum & validiſſimum tendinem, calcisque principio inſeruntur, quo *ſuſpendi ſolent mactata pecora.*

Hypocrates tendinem hunc vocavit *chordam magnam*, ut ex *calcis fractura* febres ſingultuoſas & convulſivas contingere vult.

*Ultimus denique* muſculus pedis *plantaris* dicitur, & reſpondet *palmari in manu*, hic gracilis eſt, inque tendinem longum degenerat, totámque plantam tegit, ab exteriori femoris capite exor-

exoritur, & in quinque digitos inſeritur, *eundémque hic uſum, quem ille in manu habet.*

*Tibiæus poſticus* hîc adduci poteſt inter *obliquè moventes*, inter *adductores* autem numeratur à ſpigelio: inter *extenſores* verò à Riolano.

## §. 15.

### *De Muſculis Digitorum Pedis.*

C*Oronidem* imponunt muſculi *digitorum pedis*, qui & ipſi varios muſculos habent, *illos extendentes*, *flectentes*, *obliquantes.*

*Extendunt* quatuor digitos *duo muſculi tenſores* dicti.

Primus itaque eſt *longus tenſor*, ſub tibiæ antico reconditus, oritur ab antica & internâ tibia, quâ parte fibula recta deſcendit, & in tendines quatuor ſeparatus, ligamentum annulare tranſit, atque in quatuor digitorum *tres articulationes* ſupernâ parte immiſcetur.

*Secundus brevis tenſor eſt*, ab aſtragali vicinia parte ſuperiori projectus & longo ſubtractus in omnes primi internodii articulos ſuis tendinibus deſinit, qui tendines ſupra *metatarſum* ſeſe decuſſatim interſecant.

*Flectunt* quatuor digitos *ſex muſculi flexores*, quorum

*Primus longus flexor, ſive perforatus & ſublimis* dicitur, qui ſub muſculis ſuram conſtituentibus poſteriori ſede occultatur, hic à ſuperna tibiæ parte poſterius originem ſumit, & circa malleolum internum tibiæ, calcisque ligamentum ſubiens, in planta pedis finditur, & in quatuor tendines dividitur, qui in quatuor digitorum articulos inſeruntur.

*Secundus brevis flexor, etiam perforatus & profundus* appellatur, inferius & interius à calce procedit, dimiſſisque tendinibus quatuor, circa finem procedentis muſculi tendine in ſecundum digitorum internodium excurrit.

*Tertius, quartus, quintus, & ſextus* ſunt *muſculi lumbricales* dicti, qui à flexoris longi & brevis tendinibus, eorúmque liga-

 men-

mento eos tendines involvente producuntur, & carne quadam à calcaneo exſurgente adaucti, primò in quatuor digitorum internodia ſingulis tendinibus inſeruntur.

*Obliquè* digitos movent *muſculi interoſſei decem*, ſub oſſibus metatarſi atque inter illa locati, & à carnea maſſa exorti, externi ad primum digitorum internodium, interni verò usque *ad ſecundum internodium* excurrunt, agentibus muſculis externis *digiti abducuntur*, internis verò *adducuntur*, ſimul agentibus *extenduntur*.

*Digitus* verò minimus *peculiarem abductorem* habet à calcaneo productum, qui primi internodii externo lateri implantatur.

*Pollex* pedis etiam *ſingulares obtinet muſculos*, quorum

Primus *flexor*, ſecundus *extenſor*, tertius *abductor*, quartus *adductor major*, quintus *adductor minor* nuncupatur.

*Flexor* adjacet longo digitorum tenſori, poſteriùs à ſuperiori fibulæ parte oritur, & *tertio pollicis oſſi* annectitur.

*Extenſor* ab externo tibiæ latere enaſcitur, ac *toti pollici parte ſuperiore* implantatur.

*Abductor* ab interna parte calcis ortus, & in pollicis os primum extrinſecùs defigitur.

*Adductor* major à ligamento oſſis metatarſi emergit, & in primum pollicis articulum obliquè deſinit.

*Adductor* minor à minimi digiti ligamento transverſim carnoſus defertur, atque in primum pollicis os à latere excurrit.

*In plantâ* pedis, quæ *veſtigium* appellatur, obſervatur carnea maſſa, quæ inſtar pulvinaris muſculorum tendinibus ſubſternitur; hanc carnem nonnulli cum *muſculo transverſali* confundunt.

Uſus horum muſculorum & maximè pollicis eſt, *ad ſecuram ambulationem facere*, quando nempe per viam aſperam rotundis ſilicibus refertam, aut per aliud inter minutum & lubricum eundum nobis eſt, nam horum muſculorum ope *pes ad ſubſtrati corporis figuram ſe accommodat, & id quaſi comprehendit, ut tutò greſſum firmare valeamus.*

LIBER

# LIBER V.

## *De Vaſis ſanguiferis Arteriis nempe & Venis.*

### §. I.

### *De Aorta ejúsque primis diviſionibus.*

PLacet in memoriæ facilitationem præcipuas *Vaſorum ſanguiferorum* diſtributiones ordine repetere, eáſque ab omni aliarum partium intricationibus liberatas delineare; hinc *ab arteriis* exordium faciemus.

Dico primò: *arteriæ* ad duas ultimatè reducendæ ſunt, videlicet ad *arteriam magnam ſeu aortam, & arteriam pulmonariam*, reliquæ omnes harum *ſurculi & propagines eſſe videntur.*

*Arteria* autem *magna eſt illud maximum vas, quod ampliſſimo trunco ſiniſtrum cordis ventriculum egreditur*, quæ mox ſub ipſis *valvulis ſemilunaribus* duas arterias cordis *coronarias* dictas progerminat, egreditur *aorta* Pericardium *indiviſa*, & ſic ad quatuor circiter digitos ſurſum fertur; tum in *duos truncos* dividitur, quorum pars major *deorſum, ac in latus ſiniſtrum* reflectitur, quæ *Aorta deſcendens* dicitur, altera verò pars non nihil *dextrorſum* inclinando *recta ſurſum* fertur, & *Aorta aſcendens* vocatur; hanc ſequitur *arteria ſubclavia ſiniſtra*, quæ ex trunco deſcendente originem ſumit; propè hanc ex trunco aortæ, *Arteteria Carotis* ſiniſtra exoritur, ubi verò *aorta aſcendens* ad ſeſquid-

digi-

digitum circiter ſurſum delata fuit, ibidem *arteria carotis dextra* & *ſubclavia dextra* ſuam originem ſumit, & in parte inferiori non multùm à principio arteriarum ſubclaviarum utrinque propullulant *arteriæ intercoſtales ſuperiores*, quæ intra coſtas ſuperiores diſſeminantur; Ita quoque ex *iisdem ſubclaviis* internè emergunt *arteriæ mediaſtinæ*, & *diaphragmaticæ ſuperiores*, *à parte anteriori ſub* arteriis ſubclaviarum egrediuntur *arteriæ mammariæ*, quæ utrinque ſub ſterno incedentes, hinc inde ramos ad partes externas thoracis, in mulieribus verò maximè *ad mammas* transmittunt, nec non alii harum ſurculi deſcendentes, ac per muſculos abdominis diſperſæ cum arteriis *lumbaribus & Epigaſtricis* connectuntur.

*A parte ſuperiori arteriarum ſubclaviarum* progignuntur utrinque *arteriæ cervicales ſeu vertebrales*, ſurſum ad caput aſcendentes; cùm verò *ſubclavia* thoracem egreſſa fuerit, demiſſis hinc inde tam ſuperiùs quàm inferiùs *arteriolis muſcularibus* dictis, tunc mutato nomine & *ipſa*, *axillaris arteria* vocatur, de qua inferius plura, cùm modò arterias caput ſcandentes contemplaturi ſimus.

## §. 2.

### *De Arteriis caput aſcendentibus.*

IGitur ad caput per collum aſcendunt *quatuor arteriæ*, duæ nempe majores & *carotides*, duæ verò minores & *cervicales* ſeu *vertebrales* dictæ: *Carotides* ſive etiam *capitales* utrinque duæ ſunt, *externæ* nempe & *internæ*; quæ ſeſe utrinque extendunt *ad latus aſperæ arteriæ*, ubi in magno ſanguinis orgaſmo illarum *pulſatio* non ſolùm digitis deprehenditur, ſed & oculis manifeſtè cernitur, hæ in tranſitu demittunt aliquos ramos ad aſperam arteriam & partes vicinas.

*Carotis externa*, ubi caput attigit in *quatuor ramos notabiliores* ſeſe diffundit, quorum *primus* tendit ad muſculos *oſſis bicornis linguæ* & faucium. *Secundus* ad muſculos *labiorum* &c. *Tertius* arterias temporales conſtituit, ubi pars alia excurrit per *inferiorem maxillam ad dentes*, hinc Emplaſtra ſtyptica *temporibus* applicata *dolores dentium* mitigant. *Quartus* tendit in muſculos poſteriores *colli & capitis poſterioris*.

Ca-

*Carotis interna* utrinque perforato cranio diſpergit ramos inſignes *per duram matrem*, quos etiam *ad oculos, aurem internam* & ad glandulam pituitariam transmittit, altera verò *Carotidis internæ* portio, in duos ramos diviſa, ſuos ſurculos per *meninges ipſúmque cerebrum* copioſiſſimè ac minutiſſimè diviſos diſtribuit.

*Cervicales arteriæ duæ minores dictæ;* hæ cervicem ſeu per poſteriorem capitis partem excurrunt, ac *per foramina proceſſuum vertebralium* tranſeunt, ideóque etiam *vertebrales* nominantur; Hæ arteriæ, dimiſſis aliquibus ſurculis *ad ſpinalem medullam* & partes vicinas ingrediuntur *occiput*, ac in *cerebelli ſubſtantia* diſſeminantur, ſimul ac in ipſam *cerebri medullam* præſertim *oblongatam* expanduntur.

## §. 3.

### *De Arteriis Axillaribus & Scapularibus.*

ENumeratis arteriis ad caput aſcendentibus modò rursùm ſicut in §. 1. dictum, ad arteriam ſubclaviam, ut redeamus oportet.

Quare *arteria ſubclavia* thoracem dum egreſſa eſt, arteria *axillaris* nuncupatur, quæ dividitur in *duos ramos*, quorum majorem *truncum*, minorem *verò ramum* appellamus, ex *ramo minori* abſcedit *arteria ſcapularis externa*, & aliæ arteriæ inferiores.

*Scapularis externa* dividitur in *tres minores*, quorum ramus aliquis rurſum in alios tres minores, & dein in plurimos alios, qui omnes per *ſcapularum muſculos* præſertim externos diſtribuuntur, alius ramus hujus arteriæ per *exteriorem brachii partem* ſecundùm ejus longitudinem excurrit, inde dimiſſis in *muſculos brachii* paucis ſurculis, circa *cubiti flexuram* diſinere videtur.

*Econtra* verò *truncus ſive ramus major arteriæ axillaris* arteriam ſcapularem internam & *arterias thoracicas* conſtituit, quare per medium brachii internè cum magno nervo extenditur; ſub *flexura cubiti* dividitur in duos ramos, hinc magna in venæ *ſectione attentio* & exploratio facienda eſt, ne *arteria infeliciter* pro *vena Epaticâ* aperiatur, quoniam hæc per longitudinem brachii ad carpum usque excurrit, ubi *pulſus ejus* à medicis ordinariè explorari ſolet, in tranſitu autem dimittit hinc & illinc ſurculos, deinde *carpum egreſſus* ad manum & digitos, præſertim ad *pollicis muſculos* amandat ramulos;

alter ramus ſub *flexura cubiti* germinat *ramum notabilem*, qui per *cubiti muſculos* exſpatiatur; ex his ramis oboriuntur plurimi ſurculi, qui tandem ad *ipſos digitorum muſculos* & *extrema manus* excurrunt.

## §. 4.

### *De trunco Aortæ deſcendentis.*

DElineatis *Aortæ deſcendentis* ramificationibus, ſequitur trunci maximi *aortæ nempe deſcendentis* deſcriptio: Igitur ex aorta deſcendente, *uno* aliquando *nullo* à principio ejus digito diſtante, emergit *Arteria bronchialis*, cujus ramuli *aſperæ arteriæ* inſeruntur; ad latera aortæ deſcendentis *arteriæ intercoſtales* 8. 9. vel 10. in uno latere *una infrà alteram* propullulant, quarum in latere dextro plures *ab aorta*, in ſiniſtro verò plures *à ſubclavia* originem ſumunt, his ſuccedunt *arteriæ lumbares*.

*Propè intercoſtales*, ſed magis ex parte anteriori propullulat *arteria diaphragmatica*, *etiam phrenica dicta*, aliquando *una*, ſubinde *gemina*; *Paulò* infrà diaphragma in parte Anteriori Aortæ exſurgit *truncus*, & hic *arteria cæliaca* vocatur, diſtinguitur iſta in ramum *dextrum* & *ſiniſtrum*.

Dexter Ramus producit *gaſtricam ſive Epiploicam dextram*, quæ ventriculum & omentum perreptat, deinde emergunt ex iſto ramo ulterius *arteria duodena*, *pancreatica*, *dextra Cyſtica* & *Epatica*.

Ramus ſiniſter progignit ſiniſtras gaſtricas, nempe *Epiploicam & gaſtro Epiploicam*, unde rami exigui ad *pancreas* tendunt, maxima verò hujus rami pars in liene *arteriam ſplenicam conſtituit*.

*Rurſum* paulò inferiùs etiam *à parte anteriori* originem ducit, *arteria meſaraica ſuperior*, quæ in varios ramos diviſa, per *meſenterium* ad *omnia inteſtina tenuia* tendit, & hujus ſurculi mirabiliſſimè per omnia inteſtina diſtribuuntur.

Hîc utrinque *ad latus aortæ* emergunt *arteriæ Renales Emulgentes* dictæ, quarum ſiniſtra *altior* eſt dextrâ, his ſuccedunt *arteriæ ſpermaticæ*, ſed magis à parte *anteriori egredientes*, quas ad latera ſequuntur *arteriæ lumbares*. aſt

*Adipoſæ* & *atrabilariæ* ſeu *ſuccenturiatæ* dictæ in quibusdam ab *Emulgentibus*, in aliis *à lumbaribus* decedunt.

*In-*

*Infra lumbares* naſcitur in *parte anteriori meſeraica inferior*, cujus ramuli *ad inteſtina craſſa* diſtribuuntur, ex quibus in podicem ani, ſeu inteſtino recto *arteria hæmorrhoidalis interna* oritur; *Truncus arteriæ meſaraicæ inferioris* circa *os ſacrum* dividitur in *duos ramos inſignes*, qui *arteriæ Illiacæ* dicuntur, & tendunt versùs crura, ex hac diviſione ſecedit *arteria ſacra;* inſuper utrinque ramus *arteriæ illiacæ* dividitur in *externam* & *internam*, ab interna arteria propullulat *arteria hypogaſtrica*, quæ *ad veſicam & partes genitales virorum* quàm *mulierum* tendit, ac itidem *arteriam hæmorrhoidalem externam* conſtituit; à ramo *illiacæ externo arteria Epygaſtrica* emergit, quæ ad muſculos *aliásque partes abdominis* itidem ad *pudenda* terminatur: Paulò inferiùs cernitur utrinque *arteria Cruralis*, ex qua derivantur plurimæ arteriæ *muſculæ* dictæ, hæc dividitur in *cruralem externam* à latere exteriori ſita, & hæc valde ampla eſt, & in varios ramos diſtribuitur, quorum præcipui recta versus inferiora deſcendunt, & *circa poplitem* rurſus in plurimos ramuſculos ſubdividuntur: datur & *arteria Cruralis interna*, è qua *arteria poplitæa* ſuam ſcaturiginem habent.

Rurſum truncus *arteriæ cruralis* paulò infrà genu dividitur in *duas ramificationes*, quarum altera inter *utrumque os tibiæ* fertur exterius ad pedem, & dimiſſis hinc inde plurimis ſurculis *in tarſum* magnum dimittit ramum, cujus propagines per ſuperiorem partem *tarſi* & *metatarſi* & *quorundam digitorum* longè latéque dividuntur.

*Altera* Ramificatio rurſum ſecatur in duas partes, quarum minor *arteria ſuralis* dicitur, hæc poſt plurimorum ſurculorum productionem *ultra medium ſuræ* in alios duos ramos diſpeſcitur, qui tandem ſenſim evaneſcere videntur, major pars memoratæ Ramificationis, ſuas propagines potiſſimum *versùs poſteriora* dimittit, ipſe truncus verò *juxta malleolum internum* propè calcem *ad plantam pedis* tendit, ſed antequam plantam attingit, dividitur *in duos ramos*, quorum minor versùs *pollicem* exſpatiatur, ubi in diverſos ramulos diſtribuitur, alter mittit ſurculos egregios *in exteriorem calcis partem;* ipſe trunculus verò valde profundè incedens *versùs parvum digitum* plurimos ſurculos partibus vicinis largitur, ubi tandem in majores atque minores ſurculi diviſi ſenſim oblitterantur.

Circa diſtributionem *arteriæ pulmonariæ* pauca obſervanda ſunt, hæc enim Pericardium egreſſa dividitur in *duos ramos majores* pulmones utriuſque lateris adeuntes, atque hi rurſus paulatim in alios atque alios ramuſculos, & conformiter ad diſtributionem bronchiorum ſeu aſperæ arteriæ ramificationum diſtribuuntur.

## §. 5.

## *De Vena cava ſuperiori.*

ARteriarum delineationem venarum ſequitur diſtributio *venæ cavæ* nempe & *venæ portæ.*

Igitur *vena cava* trunco valde amplo annectitur *dextro cordis ventriculo*, unde originem ducit, ibidémque germinat *venam coronariam* Cordis baſim cingentem; Deinde nondum egreſſa pericardium dividitur in truncum *ſuperiorem*, & *inferiorem*; ſuperior perforato pericardio fertur indiviſus fermè *uſque ad jugulum*, tum à latere dextro abſcedit vena *azygos* etiam *vena ſine pori dicta*, quæ eſt *valde inſignis* & dextrorſum reflexa, ac vertebrarum lateribus applicata, *ad ſpatia intercoſtalia* ſuos transmittit ramulos, qui *venæ intercoſtales* dicuntur paulò infrà exortum venæ ſine pari egreditur *vena bronchialis.* A parte anteriori *venæ cavæ* egreditur *mediaſtina* ad *mediaſtinum* & *Pericardium* tendens; Deinde *ipſe truncus venæ cavæ* dividitur propè jugulum in duas venas *ſubclavias* ita vocatas, quia ſub claviculis incedunt versùs brachia.

A parte *venæ ſubclaviæ* anteriori in utroque latere propullulat *diaphragmatica* ſuperior; arteriæ ejuſdem nominis aſſociata; *à latere ſubclaviæ* oriuntur etiam *venæ intercoſtales* ſed ſuperiores, quæ per ſpatia intercoſtalia ſuperiora, ubi intercoſtales *à vena azygos* deficiunt, diſtribuuntur.

Inſuper à ſubclavia proſilit utrinque *mammaria*, & etiam *muſcula inferior*, cùm verò hæc *ſubclavia* magis ſurſum delata fuerit ex ejus ſuperiori loco producuntur in utroque latere *quatuor venæ* caput versùs excurrentes, quarum *prima jugularis externa*, quæ ſub cute lateraliter ſurſum ſcandens, *exteriori carotidis arterioſo ramo* reſpondet. Secunda eſt *jugularis interna*, quæ à latere aſperæ arteriæ per jugulum aſcendit, mittítque in tranſitu quaſdam propagines *ad aſperam arteriam*, ad *muſculos laryngis*, ad *os*

*bicor-*

*bicorne*, *linguam*, *dentes* & alias partes vicinas, ita tamen ut modò *ab interna* modò *jugulari externa rami* diſſeminentur; ubi verò *jugularis interna* cranium ingreſſa fuit, dividitur in duos *ramos*, quorum *major* cedit in *ſinum lateralem duræ meningis*, minor verò ſurculos quosdam *ad glandulam pituitariam* transmittit; reliquum verò per *duram matrem* diſtribuitur; Rami venarum *jugularium internarum* & *externarum* ſibi invicem ſæpius inoſculantur; & hoc probatur *injectionibus* in haſce venas factis. Tertia eſt vena *cervicalis ſive vertebralis ad vertebras*, *ſpinalem medullam* & muſculos vicinos ſe diffundens. *Quarta eſt vena muſcula ſuperior* dicta, quæ in muſculos *colli & capitis* maximè *verò in exteriores* diſſeminatur.

Rurſum *vena ſubclavia* mox ante egreſſum thoracis à parte ſuperiori *venam ſcapularem internam* & *ſcapularem externam* germinat, poſtquàm verò thoracem egreſſa & ſub axillæ flexura ad brachium tendit, mutato nomine *axillaris* vocatur; hæc *axillaris* vena rurſum in duos ramos nempe in *ſuperiorem minorem Cephalicam*, & inferiorem *majorem*, *baſilicam* dictam ſecatur; *à Baſilica* verò abſcedunt duæ *venæ thoracicæ*, ad muſculos thoracis externos tendentes; *vena Cephalica* dividitur in ramum *exteriorem* & *interiorem*, Ramus exterior conjungitur *circa carpum* cum altero *ramo Baſilicæ*, & ex iis emittuntur ramuli ad digitos præſertim *ad annularem & auricularem*, ab his propaginibus etiam oritur *ſalvatella*, quæ ſæpius à practicis incidi ſolet.

*Ramus Cephalicus internus* propè cubitum jungitur ramo *majori baſilicæ*, *ex iis tum unitis* exſurgit *mediana*, quæ *frequentiſſimè inciditur*, quia inter *Cephalicam* & *Baſilicam media exiſtit*; *Cephalica* in cubito ad extra, ſub qua plerumque *nervus* latet, *Baſilica ad internum* brachii ſita eſt, & hæc in brachio dextro, *Epatica* in ſiniſtro verò vulgò *ſplenica* vocatur. *Cephalica* in utraque manu communiter *inter pollicem & indicem digitum* ſecatur, *ſalvatella* verò inter *minimum & annularem*, *ſaphæna* in utroque pede vulgò die Roſen-Ader *ad internum malleolum* ſecatur; *Iſchiatica ad externum*, *Cephalica* pedis quoque *circa majorem digitum* & *ſalvatella* pedis propè *minimum*, proùt in manu inciditur.

## §. 6.

## *De Venâ Cavâ inferiori.*

SEquitur diſtributio *venæ cavæ inferioris; vena cava* igitur inferior, perforato inferius pericardio, tota per cavum thoracis usque *ad diaphragma* fertur, cui in tranſitu utrinque inſignem ramum largitur *diaphragmatica* vena dicta.

*Truncus* autem venæ cavæ perforato diaphragmate immergitur *parti ſimæ Epatis*, ſed non adeò profundè, hinc tantùm *tres amplos ramos* ad ipſam Epatis ſubſtantiam immittit, tunc *truncus venæ cavæ* ipſum epar deſerit, atque *lumborum vertebris* appropinquat, juxta *aortam deſcendentem*, & *à quolibet ibidem latere* progerminat venas: *imò lumbares ſuperiores*, dein *emulgentes* & etiam *ſpermaticas*, quarum *ſpermatica ſiniſtra* ab *ipsâ venâ emulgente*; dextra verò *ſpermatica* immediatè à trunco *venæ cavæ* exoritur, his ſuccedunt utrinque *lumbares inferiores*; tunc truncus *venæ cavæ* ſenſim *ſub arteria magna* ſe quaſi ſubjiciendo abſcondit, & tandem circa os ſacrum in duos ramos *illiacos* dictos dividitur; ab his abſcedit utrinque *vena ſacra*; quam inſequitur *ramus illiacus*, in internum & externum diviſus; *à ramo illiaco interno hypogaſtrica*, à qua procedit *Hæmorrhoidalis externa*, generatur *vena Epigaſtrica* ſuperius talis, inferius verò *pudenda* dicta, deinde ulterius truncus *venæ cavæ* diviſus utrinque Nomen *venæ cruralis* aſſumit, & dividitur in ramum internum *minorem*, & in ramum externum *majorem*; Ramus internus *ſaphæna* vocatur germanciè in ſexu fœmineo die Roſen-Ader/ aperitur ſæpius in obſtructione menſium, ſita eſt *ad malleolum pedis internum*, à Ramo *cruralis* externo *vena Iſchiatica* oboritur, quæ ad *malleolum pedis externum* adjacet, & in doloribus Iſchiaticis aperiri ſolet: Datur & *muſcula interna*, quæ muſculis *in femore ſitis* potiſſimùm impenditur, ſequitur vena *Poplitæa*; quæ circa genu & poplitem *incipiendo* diſtributis huc & illuc ſuis ſurculis circa *extremitatem pedis* variè diſſeminatur, hinc ad pollicem *cephalica pedis* vocatur, tandem circa pedem venæ in plurimos ramos innominatos diſperguntur, & *crebra in oſculatione conjunguntur*, ut ſic ſanguis ex arteriis circa extremitates in minores venas confluens, per diverſas vias ad cor revehatur: Notandum inſuper eſt, ramificationes tam vena-

rum

rum, quàm arteriarum, in manibus pedibúsque non tantùm in diverſis ſubjectis, ſed etiam in ipſo individuo *valde diſſimiles eſſe*, ideò ut ſæpe diſtributiones aliæ *in pede dextro*, aliæque *in ſiniſtro*, aliæ in *manu dextrâ*, aliæ *in ſiniſtra* conſpiciantur; rami verò majores, quos ſupra depinximus ordinariè non multùm variant.

## §. 7.
### *De Vena Portæ.*

ACcedimus ultimò ad diſtributionem *venæ portæ*, quæ abdomen non egreditur, sed in ſurculos innumeros divaricatur, quorum alii per *Epar*, alii per *reliquas partes in abdomine contentas* diſperguntur; truncus autem verus eſt *valde brevis*, & ab egreſſu ex Epate *deorſum* protenditur; Rami *venæ portæ per Epar diſperſi* funguntur officio *arteriarum;* afferunt nempe cum ſanguine materiam *alcalino* 🜍*ream* in Epate ſegregandam; Truncus igitur *venæ portæ* in Epate dividitur *in duos ramos majores*, qui in *Epatis cavum* expanduntur; *ramus* minor versùs *hepatis gippam* pergit, ſic totus *venæ portæ* truncus *in quinque ramos* diſtribuitur, qui deinde in plures ſemper minores atque minores dividuntur, ſicque per *totam Epatis ſubſtantiam* diſtribuuntur.

Inter *ramos venæ portæ* ſanguinem ad truncum revehentes primæ ſunt *Cyſticæ gemellæ*, per *veſiculam fellis* extenſæ, dein ſuccedit *ſtomachalis vulgò gaſtrica dextra*, quæ per *ſuperiorem ventriculi partem* diſtribuitur, dein dividitur truncus in duos ramos *in ſiniſtrum & dextrum*, ſiniſter vulgò *ſplenicus versùs lienem* extenditur. Unde oritur *vena hæmorrhoidalis interna ac externa*, quæ in *inteſtino recto* in nonnullis hominibus etiam *in ano* intumeſcunt, cujus ramuli tam arte, quàm naturâ *ſæpè aperiuntur;* rurſum procedunt *ſtomochales* ſeu *gaſtricæ ſiniſtræ*, quæ in *ventriculo venam coronariam* conſtituunt, dein *truncus ſpenicus* dividitur in ramum *ſuperiorem* & *inferiorem*, inferior dimittit propagines in *omentum Epiloicas* dictas, item *gaſtro Epiploicas*, ſive *ventriculo omentales*, ſuperior ramus *ad ventriculum ramum*, *vas breve* dictum transmittit.

*Ramus dexter venæ portæ* largitur *omento* ramum, nempe *Epiploicam dextram*, & *gaſtro* ſive *ſtomachico Epiploicam dextram*, dein *duodenam*, à qua ſparguntur ramuli per *pancreas* & *omentum*, tandem ſecatur ramus iſte venæ portæ dexter in *tres venas meſeraicas majores*, quæ per *meſenterium* versùs *inteſtina* excurrunt, ubi in ramos minores atque minores ſemper diviſæ, per *tunicas inteſtinorum* quaquâverſum diſſeminantur.

Nervorum diſtributionem, tam qui immediatè ex *cerebri penetralibus* ſenſuum organis communicantur, quàm qui per *ſpinam dorſi artubus muſculíſque* largiuntur, jam in *quavis partis* deſcriptione ſpecificâ annotavimus: Igitur nova hîc deſcriptione non indigemus.

# F I N I S.

# PARERGA
## EX
## UNIVERSA MEDICINA.

I.

MEdicina Dogmatica, ratione & experientiâ conſtans, non eſt ars, ſed ſcientia.

2. Subjectum ejus eſt corpus humanum vivum utpote corruptioni hinc morti obnoxium.

3. Conſideratur autem à Medico, quà ſanabile.

4. Ipſa verò ſanitas conſiſtit in vigore ac integritate omnium actionum, cùm animi tum corporis.

5. Quæ à partium ſolidarum tono, & à Libero, regulari, ac temperato fluidarum ac impetum facientium motu, earundémque temperie, & debita craſi, dependet. Itaque

6. Non datur ſanitas à partibus hiſce memoratis ritè ſe habentibus, debitèq; inter ſe unitis, atque contemperatis, ut ens realiter diſtinctum.

7. Conſtat autem corpus humanum, ſicut omnia mixta perfecta, materiâ & formâ ſubſtantiali.

8. Et hæc in homine eſt vera, abſoluta, immaterialis ſubſtantia, nempe anima rationalis.

9. Quæ infunditur à Deo Embrioni, poſtquam omnia organa ita ſunt diſpoſita, ſicut pro corpore humano diſpoſita eſſe debent. Hinc

10. Nulla determinata Dies pro infuſione animæ, contra AA. & etiam aliquos R. R. aſſignari poteſt.

11. Iſta verò materia, conſiderata ùt prima, juxta plurimorum modernorum mentem, videtur eſſe ſuo modo completa, atque ſub nomine corpuſculorum minimorum comprehenſa.

12. Ex his etiam principiis corporis noſtri partes tam ſolidæ, quàm fluidæ materialiter componuntur.

13. *Inter has verò primatum tenet Sanguis in concreto ſumptus.*
14. *Qui in nullo viſcere ſanguificante dicto formaliter efficitur.*
15. *Attamen in corpore animalis viventis per certa ſua vaſa circulariter movetur.*
16. *Et hæc circulatio primario in motu ſanguinis progreſſivo, ſecundario in motu ejusdem regreſſivo conſiſtit.*
17. *Illius inſtrumentum primarium & organon eſt cor, una cum arteriis.*
18. *Hujus verò partium Solidarum flexibilium tonus, cùm fibris motricibus, & partium carnoſo membranoſarum ſpecialis ſtructura.*
19. *Unde in glandulis, aliis partibus, & viſceribus, Secretiones, & excretiones humorum identidem contingunt.*
20. *Qui ſpecialiter ſub nomine Lymphæ aut ſeri comprehenduntur.*
21. *Humor verò rubicundus τῷ ſanguis dictus, non nutrit.*
22. *Sed tantummodo Lympha Seroſo-chyloſo-ſpirituoſa, in partium porulis, tubuliſque ſenſim à Maſſa ſanguinea ſecedendo nutrit.*
23. *Ex qua & ſemen in teſtibus virorum, (ſemen verò aliud in mulieribus, præter ovula declinationes in ſe continentia non admittimus) & Lac in mammis ob ſingularem harum partium ſtructuram conficiuntur.*
24. *Sic denique Spiritus cùm vitales, tum animales, ob continuam chyli ſanguiniſque circulationem & particularum reſolutionem ac volatiliſationem educuntur.*
25. *Qui verò eſſentialiter inter ſeſe non differunt, ſed duntaxat à functionibus, paſſim vitales, & animales nuncupantur.*
26. *Interim nec ſanguis, nec ſemen in corpore humano vivunt.*
27. *Sed unicè vivunt partes corporis noſtri ſolidæ.*
28. *Quæ Gangrænâ aut ſphacelo correptæ, curari arte Medica non poſſunt.*
29. *Nec magis partium internarum ulcera, teſte Hypocrate ſectione octava aphoriſmorum ſexto, curationem admittunt.*
30. *Econtra verò fluidorum vitia Medelam non reſpuunt.*

31. *Unde Epilepſia etiam teſte Hypocrate ſectione quinta Aphoriſmorum ſeptimo, ante vigeſimum quintum annum curanda venit.*

32. *Omnis verò morbus eſt Læſio actionum immediatè, ac per ſe, tum animi, tum corporis, à ſolidarum fluidarúmque partium vitio & utrarumque turbato motuum ordine dependens.*

33. *Unde datur tantummodò morbus materialiter ſumptus, excluſo morbo formali, tanquam ente à memoratarum partium læſione realiter diſtincto.*

34. *Morborum verò cauſæ internæ, Spiritus & humores, præcipuè verò partium ſolidarum, ac fluidarum motus ſtatuuntur.*

35. *Econtra cauſæ externæ ſive procatarcticæ ſunt ſex res non naturales neceſſariæ, & indecenter uſurpatæ.*

36. *Quarum inter aer, cibus & potus, animíque patemata primatum tenent. Hinc:*

37. *Aer in animantibus reſpirantibus vitæ quaſi pabulum conſtituit.*

38. *Res verò non naturales non neceſſariæ morbos tum plerumque (quando absque prudentis Medici conſilio uſurpatæ fuerint) producunt.*

39. *Et hujus generis ſunt curſus, ſaltus, Equitatio, acidulæ, balnea, & thermæ.*

40. *Quarum ultimarum calor actualis particulis ſulphureis in terræ poris ſui Juris redditis adſcribendus venit.*

41. *Inſuper ſanitas æquè ac morbus per certa ſua ſigna cognoſcuntur.*

42. *Eſt autem ſignum Medicum omne id quò cognito, in alterius prius ignoti notitiam pervenire licet.*

43. *Et aliud eſt Diagnoſticum, quò præſentem, prognoſticum, quò futurum, anamniſticum, quò præteritum corporis humani ſtatum cognoſcimus.*

44. *Inter hæc autem, ſigna Patognomonica Medico practico ſcitu apprimè neceſſaria ſunt.*

45. *Quæ verò pleraque ſigna ab effectibus, atque morborum cauſis deſumuntur. Quare*

46. *Bonam pulſus & urinæ notitiam Medicus practicus ut habeat, neceſſe erit, nec non:*

47. *Aphoriſmos Hypocratis raró fallentes ad prognoſticon ſolidum faciendum, medentes ut probè intelligant, opportet.*

48. *Symptomata veró morborum non niſi valde urgentia in praxi tantummodò attendenda ſunt.*

49. *Inſuper methodus medendi genuina ex indicationibus, à cauſis morborum plerumque deſumptis, eruenda erit.*

50. *A qua nec venæ ſectio, neque purgatio ἄνω vel κάτω inſtitutæ excludi rationabiliter poſſunt.*

51. *Dummodo hæc per tutta, ac probata pharmaca, reſpectu etiam habito ad Idioſyncraſiam patientis procurentur.*

52. *Quæ ex regno vegetabili, animali, & minerali variè ac diverſimodè parata deſumuntur.*

53. *Sed tamen hæc cum præcautione in mulieribus hyſtericis, gravidis, atque puerperis ordinanda ſunto.*

54. *Ipſa veró venena, præſertim arſenicalia, licèt correcta & neſcio quomodo præparata internè tutò, & ſecurè propinari non poſſunt.*

# COMETA POETICUS
## QUI MORTI FERALÈ ILLUXIT,
## DUM PRO VITA, ET SALUTE PUBLICA

*PRÆSIDE*

*Prænobili, Excellentiſsimo, & Magnifico*

DOMINO

FRANCISCO CAROLO ANTONIO EGLOFF

DE

STAADTHOFF,

Med. Doctore, ac Anatomes in Alma Univerſit. OEnipontana Profeſſore Ordin. publico

IN ARENAM MEDICAM DESCENDERET

*Nobilis, & Doctiſſimus Dominus*

HIERONYMUS LEOPOLDUS BACCHETONI,

Precenſis Romanus,

AA. LL. & Phil. Doct. Chirurgiæ Licentiatus, & Salub. Med. pro ſuprema ejusdem Laurea Candidatus.

B acchatur, tragiciſq U e iras infeſta venen I

B arbara mors atro pe R mundum percita faſt V

A ſperat. Haud parci T, totius credita mund I

A ut quos eccleſiæ tyr I is redimivit amict V

C ura micante oſtris L ethali præda ſub iſt V

C uncta cadunt, durâq U e ônes (prò impia) leg E

C onterit. An tali ſe M per malecauta furor E

C ædet terrigenas? ſu M mo at miſeratus ab ax E

H ippocrates homin E xuvias, & funera lat E

H orribili quæ falce D edit mors, exardeſci T

E t diræ pugilem mort I s qui ſpicula franga T

E legiſſe libet. Medi C æ bene noverat arti S

T e firmaſſe armis an I mũ, tibi prælia Mavor S

T radit Apollineus. N ova deſtinatur aren A

O mina cerne tibi ter l Æ ta! en inclyta palm A

O ffert ſe invito. Mor S ſævam ponit Erynni N

N amq; tuum novit ſib I jam præcellere nome N

N on unâ effractam ſe D um à te aſpexit aren A (a)

I ngeminet ſecura ſal U s modo gaudia. Vict A

I ncipiat miſero leſ S ũ mors ducere planct V

T u vero generoſe pugil, quam fata, coronam, nectunt, conſerva, caput hac dum cingat Apollo.

(a) Dum ſcilicet theſes publicas ex Philoſophia OEniponti cum tractatu de anima, & vita tamquàm morti contrario, & Chirurgiam privato examine defenderet Patavij.

*Debitæ ergò obſervantiæ cecinit*

Franciſcus Vigilius Grammatica, AA. LL. & Phil. Baccal. ejusdémq; ac J.U. Stud.

# Errata.

IN *Dedicationis penultima columna linea 30. loc.* Sereniſſimos *lege* ſeriſſimos.

F*ol. 2. lin. 8. loco* apellatur *legatur* appellatur. *Fol. 14. lin. 10. loc.* vel *leg.* &. *Fol. 16. lin. 27. loc.* ſine *leg.* ſive. *Fol. 19. lin. 9. loc.* præditum *leg.* præditum eſt. *Fol. 21. lin. 23. loc.* interum *leg.* interim. *Fol. 24. lin. 12. loc.* fecerit *leg.* fuerit. *Fol. 27. lin. 13. loc.* elatum *leg.* elotum. *Fol. 44. lin. 31. loc.* propriarum *leg.* propriarum eſt. *Ibidem lin. 32. loc.* cingitque *leg.* & cingit, atque. *Fol. 49. lin. 30. loc.* teſtibus *leg. teſtibus &.* *Fol. 59. lin. 24. loc.* tanquam locum *leg.* tanquam ad locum. *Fol. 63. lin. 5. loc.* mollem *leg.* molem. *Fol. 66. lin. 1. loc.* hîc *leg.* hæ. *Fol. 67. lin. 5. loc.* exedunt *leg.* excedunt. *Fol. 70. lin. 1. loc.* nerveoſa *leg.* nervoſa. *Fol. 71. lin. 20. loc.* carondinis *leg.* coronidis. *Fol. ibidem. lin. ultima. loc.* aſt Amnio-Chorion tenuior *leg.* aſt amnios, chorio tenuior. *Fol. 74. lin. 23. & 24. loc.* continetur *leg.* continuatur. *Fol. 104. lin. 17. loc.* pulmonalis *leg. pulmonales.* *Fol. 105. lin. 26. loc.* aptiſſimos *leg.* aptiſſimas. *Fol. 109. lin. 7. loc.* 18. *leg.* 17. *Fol. 128. lin. 24. loc.* adorat *leg.* odorat. *Fol. 138. lin. 1. loc.* transparet *leg.* transparens. *Fol. 139. lin. 25. & 26. loc.* illos *leg.* illas. *Fol. 140. lin. 15. loc.* penna *leg.* pinnna. *Fol. 141. lin. 21. l.* porotides *leg.* parotides. *Fol. 153. lin. 6. loc.* ffiguntur *leg.* affiguntur. *Fol. 155. lin. 29. loc.* trasmittere *leg.* transmittere. *Fol. 156. lin. 23. loc.* nſi *leg.* niſi. *Fol. 171. §. 9. loc.* De Cubiti Oſſibus ſcilicet ulnâ & radio. *leg.* De Muſculis oſſium Cubiti, ſcilicet ulnæ & radii. *Fol. 188. lin. 13. loc.* pori *leg.* pari.

*In Parergis Num. 23. lin. 2. loc.* declinationes *leg.* delineationes.

# APPLAUSUS
# POËTICI,
## QUOS MUSÆ APOLLINEA COMITATÆ SUNT LYRA,
DUM IN ALMA, ET CELEBERRIMA CÆSAREO-ARCHIDUCALI UNIVERSITATE OENIPONTANA

*PRÆSIDE*

*PRÆNOBILI & MAGNIFICO DOMINO*

# FRANCISCO FRID.co
# PAYR
# AD TURRIM,

Phil. & Med. Doct. ac Inſtit. Med. Prof. publ. ord.

& pro tempore præfatæ Univerſitatis

RECTORE MAGNIFICO DIGNISSIMO

DOCTORALI EX SALUBERRIMA MEDICINÆ LAUREA

ritu publico, & ſolenni poſt rigoroſum exantlatum Examen

*Condecoraretur*

*PRÆNOBILIS & EXCELLENTISSIMUS DOMINUS*

# HIER. LEOP. BACCHETTONI,

Precenſis Romanus,

AA. LL. Philoſophiæ, Chyrurgiæ, & Medicinæ Doctor.

*Anno M. DCC. XXVI. Menſe Auguſto. Die XII.*

QUÆSTIONES IN ACTU DISCUTIENDÆ.

I. *Quænam ſint vera thermarum & acidularum principia?*

II. *An materia ſubtilis, quam Carthesius adducit, ſit ens rationis?*

III. *An quis, & qualis morbus ſit neoteriſmus?*

*PERMISSU SUPERIORUM.*

Formîs Mich. Ant. Wagner, Cæſ. Aul. & Univerſ. Typogr. & Bibliop.

# IGNOMINIA,
# DEVICTÆ MORTIS
ET
# GLORIA
*TRIUMPHANTIS PRÆFATI*
*PRÆNOBILIS*
ET
*EXCELLENTISSIMI*
# DOMINI
# NEO-
# DOCTORIS
*EPICO CARMINE*
repræſentata,

Dum Suprema Ei ex Saluberrima facultate Laurea
imponeretur

*DECANTATA*

à

FRANCISCO VIGILIO GRAMMATICA,
Tridentino,
AA. LL. & Phil. Baccal. ejusdemque, & J. U. Stud.

# ARGUMENTUM.

HOdierna Solennitas, & Æſtus poëticus præſentis Poëmatis præbent argumentum. Hodierna quidem ſolemnitas, dum nempe Medicinæ Laureâ inſignitur Præn. & Excell. Dominus Neo-Doctor. Æſtus Poëticus, quo inſpirante fictio noſtra deſumit originem. Principio ergo, ùt notum plurima nobis faciunt, creavit DEUS cœlum, & terram, aureôq; homines permiſit gaudere ſæculô; ſed tanta felicitas ſine hoſte ſtare non potuit, quem nacta eſt Mortem: hæc ergo contra venenatum ab ipſa pomum antidotum cernens datum, aliô ſtatuerat homines excidiô è medio tollere, ſed furiarum ſuaſu Jovem prius eſt conata avitis deturbare ſedibus, quod inſtrumentô gigantum turbâ efficere ſe facilè credidit, ſed deluſa per Titanas fulmine punitos, & propriis obrutos machinis ſibi quoque ruinam timens, Jovi cùm nocere non poſſet, homines diluvio univerſali delevit. Non tamen providus Jupiter mortis adeo dedit debacchari furorem, quin duobus (ringente morte) è clade reliquis reparationem mundi committeret. Nec morti ſua defuit pœna, nam conſiliô hac ſuper re à Cœlitibus initô, eam prælio à præfato Prænob. & Excell. D. Doct. cujus virtus ad aſtra uſque pertigerat, peti debere deliberatum eſt, quod cùm feliciſſimè perfecerit, Laurea modò ei imponitur, quæ & ipſius aſſiduorum laborum, & præſentium carminum eſt meta. Hoc tamen te monitum vellem L. B. ut ſacra non ideo intruſa eſſe prophanis credas, ut prophana prophanent ſacra, ſed ut majus ab eis ſacra percipiant incrementum. Nec adverſam tibi ſuſpicionem moveant hinc inde gentilium miſta Deorum nomina, ſine his enim Poëtici ſales liqueſcunt, & inſipidus tamquam cibus ſe carmina Lectorum guſtui oſtendunt. Vale, & fave.

Fato-



FAtorum modò fata cano, cano fracta Parentis
Jura Sacræ, cano, quas homini mors impia clades
Intulit, & latum victâ cano morte triumphum,
Qui dignâ ornavit victricia tempora Lauro.
Phœbe decus Pindi MEDICI digniſſime Præſes
Phœbe chori, cujus *Divæ diræque* Sorores
Imperio ſubſunt: cùm per te barbara mortis
Falx effracta gemat, calamo ſic addere noſtro
Non pigeat vires, feſtivô carmine Cœlo

Ut poſſim dignum Pugilis tranſcribere Nomen.
Poſtquam prima pati didicit confuſio Legem,
Et chaos Imperio ſe ſubdidit; humida ſiccis,
Frigida cum calidis poſtquam conjuncta: creavit
Arbiter omnipotens rerum TERRAMQUE, plagásque
Cœleſtes (ubi clara Deo dant ſydera ſedem)
Ovid.Met. I, c, 12. Præficiens hominem TERRÆ, MAGNAMQ; PARENTEM
HANC dici voluit mundi melioris origo.
Aurea Sæcla homini Deus, & natura parârant:
Auratas tellus fruges inarata ferebat,
Grataque ſecuræ peragebant otia gentes
Nullis turbatæ bellis: non enſibus antra
Stridebant Liparis, Brontes, Steropésque perenni
Torpebant ſomno; toto proſcripſerat orbe
Crudeles Martis furias pax aurea: Læto
Ter felix mundo ſe protendebat oliva.
Manſuetam induerant naturam bruta, Leones,
Cúmque Urſis tygrides homini ſe ſubdere pronas
Gaudebant: tellus zephyrîs mulcentibûs aſtra
Verterat in flores: Meſſor gaudebat ariſtis
Sponte ſua ſectis, nullo carpente cadebant
Maturi fructus, & flumina nectaris ibant.
Atra ſed humanis nimiùm ſtyx invida rebus
Harpyias genuit ſævas, regísque locavit
In ſolio mortem, cui vultu pallida livent
Ora, cavásque tetro ſuſpendit pectore coſtas
Ore minax, & falce manum munita cruentâ.
Triſte ſatellitium ſecum ferruminat: orci
Tabificas curas, maciem, triſtémque Senectam,
Cúmque ſiti eſuriem, luctum, durúmque laborem,
Peſtiferámque luem. Quæ fecerat otia fauſtis
Jupiter orbicolis, movêre furentia diræ

Pecto-

Pectora Reginæ Succeſſibus invida noſtris.
Obtruncare homini vitam conata venenum
Condidit in pomo, quod miris artibus Evæ
Porrigit atque viro, quod cùm guſtavit uterque,
In vultûs ſudore ſui tum pane coactus Gen. 3.
Eſt veſci, & mulier fœtum pariendo dolores
Perſentire graves. Hinc pomis nata *malorum*
Nomina, quæ meritò jam *peſſima* quisque vocabit.
Non iſtis ſaturata malis truculenta ſeveræ
Ira Deæ, namque antidotum cùm cerneret almum
Porrexiſſe Jovem, *Divinam* ſcilicet *undam*,
Bacchatur, luſásque dolet per Numina technas,
Vindictámque petit: Stygias adit ergo cavernas,
Et furias prodire jubet; glomerantur in unum
Horrida monſtra Stygis, partu quæcumque ſiniſtro
Inferni genuêre lacus: Alecto cruentis
Anguibus horribilis, ſcelerata Megera, feroxque
Tiſiphone, quæ pro furiis hæc verba tonanti
Ore dedit: Regina potens, quam Tartara nigro
Thure colunt, arásque frequens cui victima fumat
Ante ſacras, Phlegethontææ cui ſtagna paludis
Aſſurgunt, nobis tua juſſa capeſſere fas eſt,
Explorare tibi labor, ô Regina quid optas?
Tum contra Mors: Tartarei nunc priſtina Regni
Majeſtas calcata jacet, noſtræque ruinâ
Porcumbunt vires turpî: conamina ludunt
Noſtra Poli; tam longo ergo torpebimus ævo
Indecores? nil noſtra queant nocuiſſe venena
Terrigenis? Scelus ánne iſtud tranſibit inultum?
Jupiter infernis ergò dominabitur antris?
Involet in mortis leges? artésque nocendi
Eumenidum effringat? Veſtrum eſt confingere pœnas.

Effe-

Effera mox tragicâ ſurgens de ſede Megæra
Talia profatur: commune intendere lethum
Si populis placet, & totum ſi perdere mundum
Eſt animus ſociæ, Serpentes offero promptos.
Tiſiphone aſſurgit, quæ dicere plura parantem
His interrumpit dictis: modò trutina veſtrum
Æqua libret monitum, ſummus ſi Jupiter orbi
Adjungat vires, iterum vacuum æthera noſtræ
Pulſabunt artes; patriis de ſedibus ergo
Deturbate Jovem, victoria certa ſequetur
Terrigenûm, laurúsque caput lætiſſima noſtrum
Ambiet. Alecto contra: Si Numina Regnis
Exturbare ſuis fas ſit: modò bella gigantes
Indicant horrenda Jovi, patrióque repellant
E Cœlo, faciam.
Ferrata de ſede ruit (prô cæca futuri!)
Alecto, rabiéque ferox in ſæva gigantes
Bella vocat nimium propriis improvida natis,
Affatúrque viros: proles, fortiſſima fruſtra
Corda, quid ignavæ delectant otia pacis
Infernis inimica minis: jam bella ſuperbo
Indicit mors noſtra Jovi pertæſa tot annos
Vincula, devictus diſcet miteſcere bello
Efferus, & Stygiæ venerari ſtagna Paludis:
Sed quænam ferat arma Polo? vos unica noſtris
Reſtatis ſpes fida malis, fera probra parentis
Ulciſci placeat, properatas judice ferro
Det Numen morti pœnas: en provida veſtris
Auſpiciis natura favet, ſtant culmina ſaxo
Fulmineo jurata Deo, quæ ſæpe ſuperbo
Infringit tonitru, telóque infeſtat iniquo.
Heus ruite: an veſtris Cœli reverentia ſævi

In-

Inceptis obſtat? ſed veſtras cernite dextras
Exeſas vinclîs, tandem ſubjecta ſevero
Pandite colla jugo certos latura triumphos.
Sic axis mea jura colet, ſtabítque perennis
Inferni famulo metuenda potentia Cœlo,
Libertas hoc veſtra petit, ſtygiíque labores.
Hæc Phlegethonææ cùm dixerat arbitra noctis,
Mutuit. Interea ſummo turbata tumultu
Tartara ſæva fremunt; alii ſua brachia ferro
Enodant fratres, dirísque tumentia loris
Pectora commonſtrant incerti prodroma fati,
Pársque metu gelidos ſtimulant, inventáque laudant.
Anguiferûm verò fatalibus horrida flammis
Pectora turgeſcunt; ad tantos concitat auſus
Audaces in ſæva manus promiſſa Tonantis
Pœna ſuum domitura caput: ſtat prima furori
Area lugentem populari montibus orbem.
Caucaſeas Cocus trahit à radicibus iras,
Pelion Oegeon rapuit, titubantibus oſſam
Evellit Tition palmis: armata FRAHITTO Mons Tyrol. propè Oenip.
Enceladi fera dextra riget, Rhodopæáque niſu
Culmina tollit in aſtra fero, Picique minaces
Armantur ſcopuli, vulſus minitatur in axem
Cilix, Centimani crudeles aſperat iras
Taurus. Decretis tragico ſic ordine rebus
Stringunt arma manu; ſed Cœlum tuta remotis
Condiderat natura locis; hinc ocyus omnes
Culmina culminibus glomerant: ſupereminet Oſſæ
Pelion, & Taurus patefecit Sydera lapſu
Excelſo, & nunc cuncta metu trepidare ſevero,
Aſtra Poli: trepidi Cœlo ceſſêre Triones,
Et vetitis agitata metu ſe proluit undis

Arctos, concupière fugam madefacta Bootis
Plauſtra pati. Primo ſortis ſic impete latus
Briareûs clamat: ſocii! quocumque ſequamur,
Oſtendit fortuna viam; metuentia ſolis
Lumina, & infandæ duo cornua vellite Lunæ.
Dixerat hæc, cùm mille ruunt de gente gigantum
Anguiferi fratres, captóque nefanda Tonanti
Inieciſſe parant, & victo vincula Marti.
Sed Pater omnipotens auſu commotus iniquo
Tela capit vindex, fato jaculatus acuto
Enceladi fera corda premit: nec Filia Patri
Defuit auxilio: patulâ nam Gorgone Pallas
Emicat, & duro juſſit concreſcere ſaxo
Pectora Centimani, viſúque Ægæona fixit
Incaſſum vano volventem pectore rupes.
Ceſſèrunt victi plures, ſed major oberrat,
Infeſtátque caterva Jovem, nil ſpicula Martis,
Nilque Meduſa juvat Natæ, nil ipſa Tonantis
Dextra premit tantis telorum armata procellis.
Tandem ſceptra capit dubius, queis jura PARENTI
Dat MAGNÆ Divina, volens diſſolvere montes
Fulmine concuſſos, & præcipitare ruinîs
Monſtra virûm, juſsitque truci ſpumare camino
Æthnam promeritis penſuram crimina pœnis.
Dúmque videt Taurum magnâ ferveſcere turbâ,
Et Cœlo videt arma ſtrui, mox vindice telo
Saxa ferit, trepidóque ſtatim cumulata boatu
Machina tota tremit Summum adjutura Tonantem,
Atque Gigantæos Lapſu domitura labores
Cedit dedignata loco, campóque repente
Diſſiluit, traxítque neces; calcata rebelli
Pondere membra gemunt, huic duro marmore fixum
Pectus

Pectus hiat: Rupis gladio privatus Opion
Flebile dependet ſpolium, Cocúsque cruentat,
Quas victor quondam congeſtas ſcanderat alpes.
Non tantis placata malis Rhamnuſa triumpho
Plaudit, promeritas meditata in crimina pœnas.
Æthnæas aperit fauces, immanis hiatus
Corda nefanda vorat, ſceleratáque pectora flammis
Perpetuis torret. Sic ceſſit Phlægra triumphum
Jam damnis ſat docta ſuis, vis quanta Tonanti
Cœlicolíſque foret, montes dum tinxit iniquo
Sanguine, quas voluit propriæ fulcimina Lauri.
Non, mihi ſi ferro conſtaret lingua, furoris,
Quo Diræ arſerunt, poſſem deſcribere flammas.
Concilium furibunda vocat mors: quidquid Avernus
Condidit, ad nutum Reginæ ſiſtitur; atras
Ad mortis voces tremuerunt Tartara dictis
Talibus affantis furias: Num fulmina ſummo
Sunt tam ſæva Jovi, noſtros ſtraviſſe Gigantes
Queis Liceat? nobis quid nota reviſere tandem
Antra juvat, quidve ad ſtygios remeare penates?
Jámque parat Deus inſidias, noſtræque ruinæ
Eſt avidus, qui noſtra cani laceranda trifauci
Membra dabit, Syſiphíve volet nos volvere ſaxum,
Torqueríque rotâ, refugum vel quærere flumen,
Æternúmque mori. Tamen haud moriemur inultæ!
Quid reſtat, niſi cuncta nova confundere luctu?
Everſo juvat orbe mori! vos Numina teſtor
Infera, & horrendæ ſtagna intemerata paludis.
Jam cupio Stygiis invadere nubibus aſtra,
Oceani laxare fidem, patefacta ciere
Fulmina, & humanas undis ſubmergere gentes.

Orantem ſequitur clamor, cunctæque ſceleſtas
Promisêre manus, inventáque barbara laudant.
Oceani tragicîs inflare vaporibus undas
Mens erat, & madido confundere ſingula luctu.
Hinc mors Æoliam venit, petiítque trementi
Antra nefanda Ducis; tunc ſupplice voce precatur,
Emittátque Notos ſævos, Boreæque furores
Per totum cedat famulo graſſarier orbem
Flagro, demittátque feris aquilona catenis
Flumina rapturum ripis. Non multa moratus
Æolus incluſos patitur de carcere ventos
Libertate frui, voluítque per æthera nubes
Spargi, & Neptuni ſubverti littora ventis.
Heu nimium domini ſævo famulantia nutu
Fulmina! Pleiadum repetito vulnere fratris
Funeſtat pectus Boreas, ut ſævius illæ
Fatales nobis undarent corde dolores.
Squallida luget Hyas Phaetontea fata diurnis
Fletibus, ac dum uni morti gemebunda parentat,
Innumeras parit illa neces. Quis funera fando,
Et cenſere queat caſus, mundique labores.
Oceanus refluo fundit de pectore fluctus,
Immanésque minas, ſeptenáque brachia Nilus
Diffundit minitata ſolo: ſua littora Ganges
Exiit, & duxit ſævo ſubmerſa (parenti
Ignavus ſervare fidem) per prata meatus
Eridanus, Tigrisque ſimul, nec defuit atræ
Iſther opem transferre ſtygi: glomerantur in unum
Orbis aquæ, lugent everſa ſub æquore vaſto
Prædia, direptásque doler ſine fruge colonus
Fœcundi Septembris opes, & aratra, nefandùm!
Eventu fruſtrata ſuo: jámque impete facto

Intrârant fluctus elata palatia Cœlo,
Turritáſque domos fruſtra, non regia merſo
Rectori jam ſuta ſuo, qui raptus ab undis
Necquicquam vano ſcindit vada pervia mento,
Victurus ſi fata ſinant. Jam ſceptra profundo,
Et fertur diadema mari, cum paupere turba
Volvuntur mundi domini, non unda pepercit
Purpureis oſtris, timuit nec perdere Reges.
Omnia mors æquat, non celſos ſcandere montes,
Non rexiſſe rates, preſſit lachrymabile mortis
Robur, tranſcendit rupes vis improba fluctûs,
Et navis rapidis mactata eſt victima ventis.
Heu miſeranda ſoli facies! impune vagatur
Tanta lues, perpeſſa maris ſubducier iris
Quaſſata cum nave duos, qui cùm æquora ſævas
Miſiſſent pacata minas, ac culmina fluctu
Rupta fero dominum ſuper aſtra minantia dorſum
Erigerent, ſtarentque ſuis vada mitia ripis,
Celſo laſſatas in monte quieſcere pinos,
Et laceram voluêre ratem: tunc omine fauſto,
Ignari, quanam tantus repararier orbis
Arte queat, ſacræ petierunt Themidis aras,
Exorantque Deam. Noſtras miſerata ruinas
Themi, ſiqua Deos mortalia perdita flectunt,
Inſtrue reliquias hominum, ſi noſtra ſupernis
Conveniunt votis, quanam ratione repleri
Jam prius ereptis poſſit mortalibus orbis.
Nam ſi jam nullus deſertas incola terras
Degat, quis veſtras iterum venerabitur aras?
Nullus erit deinceps, ſacros qui nutriat agnos,
Vel qui thura legat, moniti parebimus ultrò,
Dummodo Cœlicolis meriti ſacrentur honores.

 Dixe-

Dixerat hæc ſenior; tenero cùm rapta dolore
Nympha dedit memori mites de pectores voces
Solatura virum: Non tantis infera Cœlum
Cladibus infeſtat, non tantis ſydera flammis
Irarum fervent, ut rupto fœdere rerum
Tam ſævo vertant ſibi ſubdita pectora caſu.
Mors in bella ruit, trepidum ſubrepſit in orbem
Eumenidum ſcelerata cohors, quæ percita faſtu
Has evertit opes; ſed jam ſententia menti
Stat reparare genus. *Magnæ jactate parentis*
*Oſſa retrò tergum.* Miris natalibus orbem
Exuto ornatura gelu. Sic ſumma Tonantis
Fata canunt Mortis ſævos ultura furores.
Non hæc vana fero. *Venturi lapſibus ævi*
*Naſcetur, qui jura dabit dominantia morti,*
*Hos illi meritò ſapientia cedit honores,*
*Ac Meſſis virtutis erit vincire catenis*
*Monſtra ſtygis, quem læta ſeges de morte triumphum,*
*Atque gravem ſpoliis Annoſis inſeret aſtris.*
Hoc monitum cupio. Sic fata ſilentia fecit.
Hæc Nymphæ incertis varios oracula motus
Ingeſsêre animis, quid verbis Diva moneret.
Sed tandem dubias firmat ſententia mentes.
Ergo ſecuri Themidis ne juſſa morentur,
Accipiunt lapides, & poſt veſtigia jactant
Cæptis fauſta ſuis; nam ſaxa oblita rigoris
Semina mutârunt mortali vivida formâ.
Caucaſea de rupe virum ſine imagine partûs
Fæmina, virque ſtupent, & ſaxa loquacia mirum!
Poſſe dari. Sterilis duro de ſemine proles
Accepit tellus, ſic mundi crevit origo.

Alma

Alma Parens igitur tam ſævo mota dolore,
Oſſáque rapta dolens, ſummum ſuá tendit ad axem
Vota: Dii humanis nondum ſatiata ruinis
Pectora ſi geritis, ſi me juvat orbe revelli,
Humanum feciſſe genus ſi pænitet, uno
Cur non deletis ruiturum fulmine mundum?
An inopina Deos ſubit inclementia? nati
Quo tanto veſtras maculârunt crimine ſedes,
Quidvè ego commiſi? communi morte parentem
Cum natis cur non (crudelia Numina!) charis
Tollitis? An varia ut perimar fors morte ſuperſtes
Linquor? Achæmenios quod Vobis ſudet odores
Africa, quòd pinguis veſtras cædatur ad aras
Victima, quam proprio nutrivi ſanguine, tantis
(Terra ter infelix!) mereor cruciatibus angi?
Oſſa ſed abripiant homines, merſúsque novetur
Terrigenûm numerus: rabidi prorumpat in arva
Libertas effræna maris: procumbere mundum
Morte Auctore pudet. Singultus verba Parentis
Impediêre ſacræ, quam dulci voce Deorum
Solatur Pater, & pœnam morti, Terræque juvamen
Promiſit. Majâ genitum demiſit ad omnes,
Quosquos Aſtra colunt: tenuit mora nulla vocatos,
Accurrit Pallas, Mars, Vitæ Præſes Apollo,
Diváque, quam Cœlum veneratur, turba Deorum,
Jupiter inde modis ſacra talibus ora reſolvit:
O ſuperi, nunquam tam diræ pectora curæ
Anxia vexârunt, quàm cum ſtimulata *nefandæ*
*Reginæ* furiis ferveret Phlægra tumultu
Conjurata Polo: ſed ceſſit fulminis ictu
Machina, dum vanis invaderet aſtra ſagittis,
Cognovitque Jovem. Verùm illum oblivia caſum

Con-

Contumulent, ſed quòd turbato littora Ponto
Solis utramque domum dederit, quòd merſerit undis
Terrigenas, quòd ſæva truci ſub funere mundum
Perdiderit. Juro ſtygium Phlegetonta, Supernis
Juſtitiæ ſi reſtat amor, ſtat poſcere pœnas
Condignas ſceleri. Quæ vobis Numina mentes
Cernite, ſint, deceat; reverentia nulla Tonantis
Comprimit audacem, proprio quin pellere Cœlo
Ambiat: an levior mortem vis veſtra furentem
Tundet? ut injectis gemat intercluſa catenis?
Tum ſic Pallas ait medio interfata furori:
O Pater inviſam ſi vindice fulmine mortem
Perdere decretum fatis, ſtringítque flagellum
Sacra Themis, turpis patefacta Gorgone Monſtri
Pectora caucaſeo faciam dureſcere ſaxo.
Talibus inſequitur dictis horrenda Gradivus
Arma gerens: vaſta Æthna mihi, Liparísque fucinæ
Enſes, & Galeas cudunt, ego milite campos
Implebo, ut rabidas trudant ad Tartara Diras.
Ad quæ Phœbus ait: me *vitæ* fata parentem
Præfecêre, meum eſt *mortis* dirumpere falcem.
Cognoſco Pugilem, qui milite fortior omni
Hoſtis perfringet cuneos, quem Matre cadentem
Primum ſuſcepit Latium, Musísque Precenſis
Enutrice dedit Caſtri, quod plurima mundo
Lumina doctrinæ tribuit clariſſima: Roma
Horum miratur dotes, jam denique totus
Hos celebrat mundus. LEOPOLDUM dico, Magiſtro
Me didicit fraudésque, dolósque, & retia ruptis
Frangere ſtructuris, pulchram quem ſumere laurum
Vidit Ariſtoteles, quem tot miratur in annos

OEni-

OEnipontus. (*a*) Habet PRÆLATUM Wilthina, cujus
Fauſta ſub auſpiciis peragetur pugna. Deorum
Condecorare ſuo deberet Numine tantum
Conflictum quidam, nec plus ſermone morabor;
Solus habet quidquid Parnaſſus poſſidet omnis,
Talem progenies hominum ſi Priſca tuliſſet,
Socrate non ullo, nec opus Platone fuiſſet,
Doctior haud illo quisquam, nec amantior æqui.
Pingere non poſſum laudes, quot lumina Phæbi
Illuſtrant caput, optatam dum ſpargit in orbem
Lucem, ſic tantis Muſæ HUNC virtutibus ornant.
Conſensêre omnes. Magni Jovis, atque Deorum
Nuntius Electi penetravit PRÆSIDIS ædes;
Atque ſimul docti PUGILIS, quibus alma Deorum
Conſilia exponit. Gaudet LEOPOLDUS opimam,
Quam virtus ſpondet, Laurûm ſibi ſurgere meſſem.
Stat firmum pugnare, ferum ſtat rumpere faſtum.
Ergo age digne Pugil fortes in prælia vires
Sumito, certa tibi floret victoria. (*b*) Bellum
Fervet, & altiſono reboant pulſata boatu
Tympana, felicíque applaudit buccina cantu.
Spicula Mors vibrat, ſcuto vibrata retundit
Tela Pugil: poſtquámque pari dîu Marte geruntur
Prælia, quid monſtri ſuperi! mea lumina terret?
Ecce tuos famulam ponit Mors ſubdita falcem
Ante pedes, Pugilíſque novum decorare triumphum
Exitio lætata ſuo ſibi ducit honori.
Quæ mihi Muſa dabit digno tibi carmine Laudes
Pangere? túne ergo victas, cui Tartara ſubdunt,
Sponte manus? cujúsque jacent ſub lege ſororum
Stamina? Devictam mittes ad tartara Mortem
Exanimem? quò tutus homo jam nulla timeſcat

(*a*) Qui fuit deputatus à Provinc. Tyr. cui D. Neo-Doctor dedicavit Theſ. Med.

(*b*) Allegoria d defenſionem Theſium Medicarum.

Fata ſibi, Aſt aliud Pugili Sapientia ſuadet ;
Namque videns nullum ſublata Morte ſupernos
Degere poſſe Lares, poſtquam virtutibus orbem
Implêrit : dominas ſatis eſt imponere leges
Morti, quæ nutu Superûm, non impete cæco
Truncabit miſeræ fatalia ſtamina vitæ.
Nunc age Victoris Laurum tibi maxima virtus,
Mors devicta, Pater vitæ tibi tradit Apollo.
Cùm triplici tibi docta micent modò tempora Lauro
Nil ſupereſt, numerum haud ultra perfectio trinum
Tenditur. Ecce tui Juris Natura relinquit
Quis DEUS eſſe velis. Cœlum Geryona dicet,
Regia te Sedes ſuperis exſpectat in oris.

# FINIS.



# D. O. M.

## HIERONYMO LEOPOLDO
DE
## BACCHETTONIS,

Precenſi Romano,

Qui
Clara ſtirpe, clariori educatione,
Clariſſimis animi Dotibus
Emicare Conſpicitur,
Quem
Prudentiâ, ſcientiâ, ac probitate pollentem
Patriæ Decus, familiæ ſplendorem, ſui Laudem
Amore, fide, & ingenio
Fama conclamitet;
Dum ipſe
Univerſæ Philoſophiæ, ac Medicinæ Theſes
Mentis perſpicuitate, Intellectûs acumine, ac virtutis præſtantia
Validè propugnaverit,
Merito debito, ac omnium plauſu
In Alma Cæſareo-Archiducali Oenipontana Univerſitate
Immortali earundem facultatum Laureâ
Donetur.
In ampliſſimum Laboris, atque virtutis præmium
Sui gaudio, Patriæ Jucunditati, utilitatique Communi

Modò
In amoris votum, obſequii ſignum, gratique animi
Monumentum
Ipſi
Fratri Conſanguineo, Nepoti
Amantiſſimè, Libentiſſimè, ac debitè
Corde
Lætus, gaudens, & Jubilans,
Hilariter occinit
Joſephus Maria Bacchettonus
In Monte Falcone Umbriæ
Medicus Phyſico - Chirurgus,
Atque Lithotomus

## Ad Eundem
## *EPIGRAMMA.*

JAm reſonet Laudes Hieronyme fama per orbem,
Quas tibi Apollinei progenuêre chori.
Hoſtis ab ingenio novit ſe reddere victum
Nam virtutis opes te retuliſſe tenet:
Laurifero tibi cingentur modo ſtemmate crines,
Dum caput excelſum fulget in orbe tuum.
At latet hoc unum, dum tanto cinctus honore
An plus tu accipias, quàm quod ei tribuas?
Præbueras Laudem Patriæ, modò reddis honorem,
Omine at excelſo (ſic puto) plura dabis.

*Qui ſupra*
J. M. B.

NEL PRENDER LA LAUREA DOTTORALE IN MEDICINA

*Il molto Illuſtre ed Eccellentiſſimo*

SIGNOR

# GIROLAMO LEOPOLDO BACCHETTONI

dalle Preci

Nella Celleberrima Univerſità d'Inſprugg nel Tirolo ſi loda la Patria con il medemo.

*Li 12. Agoſto 1726.*

*Afflato Poëtico.*

ECelſo Eroe, che di valore accinto
Tendeſti ſempre à Sourahuman' impreſe
Ogn' vano timor fugato, e vinto
A tuoi Cenni ſoggetto oggi ſi reſe:
L' ingegno tuo da nobil vento ſpinto
All' onde tempeſtuoſe unqua ſi reſe:
Ma' convertendo i duri flutti in calma
Soura tron di virtù ponga tua palma.

Abbandonati li Paterni Lari
Veniſti accolto da Germano Suolo
E di renderti à noi pur troppo auari
Fur quei Luoghi à te riſo, à noi di duolo,
Qual'òr bramoſi di ſoggetti rari
Brameremo ch' à noi correſti à volo;

Mà tu Iſpruzzato da German liquore
Ten corri in traccia dell' anticho onore
Laſciaſti ſaggio il tuo Paterno nido,
Ch' eſſer riſtretto il tuo valor non puote,
Ed approdando ſu d' eſtraneo lido
S' ergon trofei di tuo talento in dote.
La fortuna per te Nume ben fido
Sembra hauer à tuo prò doppie ſue ruote
E sù l' una poggiar veggio la fama
Soura l' altra il valor, ch' à ſe ti chiama.
Teſſon già lodi al tuo valor ben degno
Quelle virtù, che fan ſpiccar tuo vanto,
Quindi à mirar il tuo ſourano ingegno
Dell' ombre antiche han diſcoperto il manto.
Per dare à te di gratitude un pegno,
La fama ſteſſa è riſſoluta in Canto.
E per render men brieve il ſuo conforto,
Solcate l'onde òr ſi riduce al porto.
Nobil Garzon, gia la tua Patria anticha
Portò il valor ſin à gl' eterei ſcanni,
Qual or gl' arriſe la fortuna amicha
Alle glorie maggior drizzò ſuoi Vanni:
Che ſe doppo prouò ſorte nemicha
Colpa non fù dei Genitor Normanni!
Che ſpreggiator delle Barbaree neci
La fabricaro coll' appellar *Le Preci.*
D' un vago monte ſoura un Colle ameno
Spontò alla luce ne paſſati tempi,
A ſua gloria concorſe il Ciel ſereno
Per debellar i traditor, e gl' empi
Portò ſempre d' Eroi pregnante il ſeno
(Viva la fama ad eternar gl' Eſempi)

S' ac-

S' accoppiò la Dottrina al Lei Valore;
Ch' alle Preci portò novo ſplendore.
La Patria adunque con un nobil Laccio
In dottrina fiorìa, ſpiccava in armi;
Pur à Luogo ſi bel vien crudo impaccio
Mentre un Prince le grida all' armi all' armi!
Ciò fù allòr, quando un più potente braccio
Fè ſcancellar di ſua Virtude i Carmi:
Per accettar d' una potenza varia (*a*)
La patria è à terra e la fortuna in Aria.
Povere Preci! e chi v' areſta il corſo?
Forſi uniti i Caſtelli à voſtri danni?
Che con furie fatal, con fiero morſo
Congiuraſſer nemichi à voſtri danni?
Ma nò! mentre fedeli il debil dorſo
Per voi chinaro ad' un poter Tirano;
Solo di fellonia preſe le Veci
La Rocca Andolfi ad atterrar le Preci.
La fama infame ad abituro vile
Conſerva il nome, e ſole Preci antiche
Fur' atterate da tal luogo umîle,
Queſte monſtrando à lei ſua grazia amica
Quaſi ſcordate dell anticho ſtile,
Fan fiorire à ſuo prò Colline apriche,
E sù Rocca in tal fatto ottenne fama,
*Dalle Preci medeme* ora ſi Sfama.
Frenato il corſo al temporal flagello,
Ch' alla Patria portò flebil ſciagura,
Corſe toſto ver' ella or queſto, or quello
Per rimediare alla fatal Sventura
E tutti uniti in un fedel drapello

Qua-

(*a*) Diedero ajuto, e ricovero ai Prencipi di Camerino.

Quaſi abbracciando le paterne mura
I Cittadin con valoroſo Cuore
Alla Patria donar novo ſplendore.
Se sù nel Cielo il luminar maggiore
Alle ſtelle minor dà uita, e luce,
Scorrendo l' orbe il ſuo natìo ſplendore,
Raſſembra il Cocchio un rigardeuol duce,
Così nel mondo in ſourahuman onore
Per li Preciani ogni Città riluce,
Quindi ſcettri, e Coron con nobil gara
Fan di tai dotti eſtimazion ben rara.
Per ſanar ſuoi malor là nel l' Impero
Eleonora chiamò Preciano eſperto,
De Muſulmani il grand ſignor altiero
La ſua vita affidò ſu tale inſerto;
Il Monarcha Spagnuol Anglo & Ibero,
De' ſoggetti Precian conobbe il merto,
E Malta, e Roma, ed' ogni Città fiorita
Degl' Eroi delle Preci è ogn' hor fornita.
Ripieno è il mondo di Preciani ingegni,
Perche Eccellenti in Medicina, e Leggi
D' eternar alla fama ogn' or ben degni
Molti occuparo i più ſublimi ſeggi.
Più d' una Mitra ad illuſtrar più regni
Par ch' à ſimil ſplendor tutt' hor campeggi,
E quel Prelato, il cui ſaper ſi mira,
Romol l' eſalta, e il Vatican l' ammira.
Se in Dottrina, e ſplendor Preciani Eroi
Abraccia il mondo, e il Vaticano accoglie
Un Eccelſo Prelato: ancho dopoi
Ecco German di lui trà Regie ſoglie,
Che trasportato da felici Eoi

Or

Or Le palme Vittrici in grembo a' coglie;
Mentre chi porta di Polonia il Manto
D' intimo Conſiglier li dona il Vanto.
Tebro, Danubio, Pò, Tamigi, e Senna
Serbino pur di queſti Eroi la brama,
Pur d' ogni altro ſi lodi Inſprugg è Vienna
Che tai ſoggeti al ſuo ſervizio chiama.
Che in ſimil Luoghi jo fermerò la penna,
Ove del Bacheton creſce la fama
Che già ripien d' incomparabil merto
Corona in oggi un honor col ſerto.
Già gl' Antenati tuoi Nobil Garzone
Pien di fama, ed honor tolſe la morte,
D' inſegnar Medicina ebbe il Baſtone
Un tuo Congionto; è nell' Auſtriaco cuore
A' diſcacciar le malattie non buone
L' Avo del nom tuo fù ſcelto in ſorte;
Onde i paſſati tuoi chi poi, chi prima
Per Dottrina e valor fur ſempre in ſtima
Quindi ſtupor non fià ſe in buon Conſiglio
Quaſi à ſeguir queſte pedate antiche
Sorſe tuo Genitor, poi tù ſuo figlio
A' ricercarti quelle ſorti amiche
Superato il timor, rotto il periglio,
Voli d' Inſprugg alle colline apriche:
Mentre in Virtude in tal Liceo tu creſci
Oggi con gloria adottoratto n'eſci.
Onorata Ghirlanda Eroe preggiato
Vien in queſt' oggi ad infiorarti il Crine,
E gia ti ſcorgo la fortuna à lato
Acciò ſpichi in valor ſpichi in Dottrina
T' è propitio il favor, propitio il fato,

La di cui Tromba al nome tuo s' inchina,
Se di virtu all' indefeſſo coſto,
Cerchi de Priſchi tuoi ſerbare il poſto.

Se tù d' Inſprugg nella Città diletta
Godi queſt, hoggi un eccellente honore,
Sappi che ora la ſorte iui t' alletta
Acciò ſpichi più chiaro il tuo ſplendore,
Forſe qualche grand Aula à ſe t' aſpetta,
Qualor ti chiami un più ſourano Core:
Prego ſian ſecondati i Voti miei,
Col far che un dì tu nel Imperio bei.

Se un tuo Congionto à riguardeuol Dama
Eſſer potè regolator ben degno,
Poſſo Sperar che inalzerà la fama
La tua Virtude, il tuo ſublime ingegno:
E ſe un Aquila eccelſa un di ti chiama,
Sarà al ſicur di tuo valor un ſegno,
Ed io dirò per ſingolar memoria:
Eterna ſia del Bacheton la gloria.

Se una Tromba potè là nell' Egitto
Girolamo ſuegliar Dottore il ſanto,
Poteſs' anch' io te Bachetoni inuitto
Alla gloria eccitar con ſimil canto;
Ciò che da me per ſola brama,
Dir poteſſi in effetto à tuo bel vanto:
Prego il Ciel, che s' ademiil voto mio:
T' honori un mondo, e poi ti premii un Dio.

*In ſegno d' affetuoſiſſimo oſſequio Cantò*

Frà Gio. da Perugia
Sacerdote Capucino.

PREN-

PRENDENDO LA LAUREA IN MEDICINA

*Il molt' Illuſtre & Eccellentiſſimo*

SIGNOR

# GEROLAMO LEOPOLDO BACCHETTONI

dalle Preci

Nell' alma & celeberrima Univerſità d' Inſprugg nel Tirolo

*Li 12. Agoſto 1726.*

Si finge parlare la Patria del Neo-Dottore.

## *Sonetto.*

GLorioſo rampollo, e ſolo nato
Per rinouar delle mie Glorie i preggi,
E ch' hai ſin' or tanto ſudor verſato,
Per accreſcer Diademi ond' io mi freggi.
Siegui pure à imitar quel onorato
Figlio, che diè la vita ai Regi Traci (*a*)
E quel ch' alla Britanna ridonato
La luce, coronò ſuoi fatti egregi. (*b*)
Mà molto più quel ch' alla grande Auguſta
Fugava l' ombre, e ridonava il diè, (*c*)
Di cui ſi preggia ancor l' età vetuſta.
Segui à ſudar ſotto l' invitte, e piè
Ali d' Aquila ogn' or d' Allori onuſta.
Che coſi accreſcerai le glorie mie.

(*a*) Il Medico Catani; che Medicò un Gran Turco. (*b*) Il Medico Scacchi, che fece le cataratte ad Eliſabetta Regina d' Ingilterra. (*c*) Il Medico Carocci, che depoſe le cataratte all' Imperatice Eleonora.

*In Segno d' oſſequioſo affetto*

**Franceſco Antonio Bacchettoni**

Dottor d' ambe le Leggi.

## *Sonetto al Medemo.*

PEr te *German* ſovra d' ogn' altro altéro
Fa, che felice vada il tuo bel ſuolo.
Inalzando ſù! ciel Nome à volo,
Ove poggiar de noſtri piu potéro.
De gl' anni tuoi ſùl corſo ancor primiero
Scaccia, qual novo *Alcide*, il folto ſtuolo
De mali, e ardito di virtude ſolo,
Calca con franco piede il bel ſentiero.
Non auvien già, che l' uom per gemme, ed' oro,
Cui l' volgo preggia a coſe vili intento,
Viva, e vadan di lui le carte piene.
Mà ſol chi cinge d' immortale Alloro
La Dotta fronte, oltre cent' anni, e cento
I ſuoi, la Patria in vita ogn'or mantiene.

*In Segno di Giubilo*

Autilia Bacchettoni nata Menſurati.

*Al*

## Al Medemo Sonetto.

G*Irolam* tu, che di virtù Condegna
Agl' Avi tuoi l' antico lor ſplendore
Su queſto ſuol mantieni, ove l' onore
Alla gloria, all' amòr unito vegna.
Oggi à farci gl'allori à Te conſegna
Rendendo il vanto ſuo aſſai maggiore,
E piu ch' a ogn' altro Eroe ti da ſuo amore.
Se in te virtude è dell' *or ſuo* piu degna
Quella ſteſſa Virtù, che fra gl Eroi
Creſce col voſtro merto, e moſtra quanto
Ne ſuoi trionfi ella è minor di voi.
Inſprugg quella città, che fu cotanto
Grande, e fe grande altrui co' preggi ſuoi
Riceve ora da voi lodevol vanto.

*In Segno d' oſſequioſo affetto.*

Bartholomeo Michele Bitozzi,
Studioſo in Monteſaleo.

## *Sonetto.*

SE per ridir Signor gl' alti tuoi preggi
La mente impegno, e il baſſo intender mio,
Troppo picciol Scriban offrir poſſ' io.
A quei, che t' ornar ſi onorati fregi.
Da piu elevate menti onor piu egregi
Aurà il tuo merto, non il mio deſio,
Di te lodar, ma ſe pur non oblio,
So ben, che il puoco ancor tu non diſpregi.
D' Eno pur il tetto aurato intento,
A dar lodi piu degne, e ſue colline
Teſſer piu verdi allori al tuo talento.
Le piu nommate Muſe, e pellegrine
Venghin' a celebrar con bel concento,
Quel dì, che ingemmeraſſi tuo bel crine.

*In Segno d' affetto*

Gio. Carlo Bacchettoni,
Studioſo in Montefalco.